PERILLVSTRI ATQVE GENEROSO DOMINO, DOMINO IOANNI ERDEODO AB EBERAV, COMITATVVM MONTIS CLAVDII ET VARASDIENSIS, &c. COMITI, LIBERO Baroni in Keiſerſperg, Selin, Lepouac, &c. Academiæ Ingolſtadienſis RECTORI perquam Magnifico.

IACOBVS GRETSERVS SOCIETATIS IESV.

SCripſit Menander Græcè, & poſt illum Terentius Latinè Comœdiam, quam *Heautontimorumenon* indigitarunt, à Menedemo præcipua propemodum fabulæ perſona; qui ob filium continuis obiurgationibus ex ædibus fugatum, & in militiam Aſianam compulſum, ἑαυτὸν ἐτιμωρεῖ, ſeſe excruciabat, nullam quietis partem capiens, vt de ſe ſupplicium

abſenti gnato daret, & inconſultè factum, conſultò lueret.

Ego etiam, *Perilluſtris & Magnifice Domine Comes ac Rector*, in ſcenam non ludicram illam, verum ſeriam, producendum cenſui, non ſenem Comicum, ſed Prædicantem *Heautontimorumenon*, qui ipſe ſe mulctat, alia tamen ac ille apud Poëtas ratione; de quo Chremes:

Nunquam tam mane egredior, neque tam veſpere
Domũ reuertor, quin te in fundo conſpicer
Fodere aut arare, aut aliquid ferre deniq;:
Nullum remittis tempus, neq; te reſpicis:

Nam noſter ideo ἑαυτὸν τιμωρεῖ, ſe ipſum punit plectitque, quia ſcribendo & vociferando contra *Diſciplinas*, cilicia, & cæteras corporis caſtigationes, nihil aliud efficit, quam quod cruciatum ſibi parit, dum videt, ſalutiferam hanc in propriam carnem animaduertendi conſuetudinem & exercitationem & ſcriptis ſemper magis illuſtrari, & vſu ad plures quotidie diffundi. Quod Lutheranæ & Caluinianæ Logodoliæ Præconibus non poteſt non moleſtiſſimum euenire.

Hunc

Hunc *Heautontimorumenon* Buccinatorem, Tibi, *Perillustris Comes, & Magnifice Domine Rector*, do, dono, dico, libens, meritò; munus, non diffiteor, tenue, si non prorsus vile. At hoc quidem tempore mea libraria supellex mihi nihil aliud suggerebat. Quapropter bona spe sum, te non consideraturum, quale munus *Comitem* tam Illustrē, *Rectorem* Academicum tam Magnificum, Illustrissimi trium Regnorum Croatiæ, Sclauoniæ & Dalmatiæ PROREGIS Filium, Philosophicis ac Theologicis studiis probè excultum, virtute, maturitate & grauitate supra ætatem insignitum, denique ad summas dignitates natum accipere deceat, sed quid fortunulæ meæ me dare sinant. Nec periculum erit, fore, vt Illustrissimus Pater tuus THOMAS. ERDEODVS *ab Eberau*, &c. à Regiis, quas Regis vice gubernat, aut à propriis ditionibus, quas in Hungaria & Croatia possidet, hunc Prædicantem arceat; quia non venit mactare & perdere, vt venerāt illi, quos nuper solum vertere iussit; sed spiritui admodum frugiferam doctrinā tradere & spargere.

Deus te, *Perillustris Comes, Magnifice Domine Rector*, vt æuo, sic & cœlestium charismatum copia florescentem conseruet, indiesque magis, ad eas, quæ te manent, in Ecclesia & Republica functiones, perficiat; quia nisi his talibus fulcris & illa & ista fulciatur, pleraque nutare, & multa penitus collabi necesse est. Ingolstadij, ipsis Assumptæ Deiparæ in cœlum feriis, *cuius sacratissimæ Virginis honor & gloria tam est celebris apud Hungaros*, inquit Chartuitius Episcopus in vita S. Stephani Regis, *vt Festum Assumptionis eius, tacito proprio nomine, sua lingua* Diem Dominæ *appellent*. Anno M. DC. XIII.

ACCLA-

ACCLAMATIO
AD PERILLVSTREM DOMINVM, DN. JOANNEM ERDEODVM COMITEM MONTIS CLAVDII, &c. ET ACADEMIÆ JNGOLSTADIENSIS RECTOREM Magnificum.

SI laudanda nefas vel non laudare, vel altis
Lumine disjuncto, sepelire obscura tenebris;
Quando digna tuis tandem spectácla dabuntur,
Virtutum Charitumq́; COMES pulcherrime, factis?
Nam tua vel niueis mundum percurrere pennis
Gloria, vel rutilo cælum transcendere curru
Iam dudum meruit: rutilo dignissima curru
Gloria. cui primum titulis affulsit auitis
Plurima lux generis, tum virtus maxima patris,
Tertius accessit sobolis de lumine splendor;
Vt tam prole pater, quàm proles patre niteret.
Et gens prisca quidem multis exercita bellis
Floruit, ac pictis impleuit plurima ceris
Atria, sed (SVPERIS SVNT NOSTRA PERICVLA CORDI)
Magne & docte COMES, veteris nunc omnia laudis
In PATRIS inq́; tuum coëunt compendia vultum.
Ille velut FIDEI nostra fortissimus HEROS,
Quo vix prima loco ponit vestigia victor,

Vndiq;

Vndiq; Tatarrei fugat agmina perfida regni.
Sic quocunq; suum Sol aureus iniicit ignem,
Pro tetrâ roseam reuehens caligine lucem,
Nocturnas telis radiorum interficit vmbras.
Tu sicut patriæ laudis castissimus HAERES,
Nil nisi quod rectum est didicisti quærere: tota
Cura tua, est pietas, tota in pietate voluntas.
Quin tibi vix Cunæ cessêre, sinuq; relicto
Nutricis, magnis animis ad clara ruebas
Quæ sanctæ Charites, doctæq; in scammate Musæ
Sollicitare pedes, metamq; ferire solebant.
Candida vix æquum summisit regula limen,
Tu quoq; carceribus ruptis, conuerrere cursu
Fulmineo stadium, mediaq; sititor arenâ
Cœpisti magnam lucrari velle coronam.
Nec quadriga tuo castigatissima Circo
Defuit, & currum domiti subiêre iugales,
Ira rubens, pullusq; Dolor, Timor albus, ouansq;
Lætitia: ast Ratio aurigans liquidissima gressum
Dictat equis, rapidumq; docet discrimina currum
Nescire, atq; rotas securis radere metis.
Nec prius è pictis effundere faucibus vrget
Esseda, quàm Podio mappam Prudentia mittat.
O quoties dignum cælis & sole sereno
Aspicimus vultum! quoties cum dira reorum
Iratum terris incendunt crimina Numen,
Tu quoq; iustifici conquassas fulmina sceptri?
Numinis & tantum doctus doluisse dolore,
Non morbos, non fata times, non deniq; quidquid
Fortunæ trepidis malè formidatur alumnis;
Sed tuus ille vnus timor est, OFFENDERE NVMEN.
Hinc nunquam imbelli te vidit arena lacerto,
Hostica cum tacito peteret te turba tridente,
Et reti infuso nec opinum claudere vellet.

Promtus eras nimium miles Ratione magistrâ,
ET TANTVM TARDAS COMPRENDVNT RETIA PRAEDAS.
At tu scis doctè iactum euitare, tibiq;
Magna Secutori deuictis gloria pugnis
Creuerat, ac titulis poteras suffigere priscis
DISCINCTOS RATIONE DOLOS, PARTVMQVE TRIVMPHVM.
Nunc igitur post tot virtutum facta tuarum,
Nos tibi, non iam te nobis spectacula par est
Edere. Quanam autem tantis sunt digna theatris?
Anne iterum reuocandus erit REVOCATVS? an auro
Digna CATENA suo demum cudenda? profectò
Omnibus his tanti virtus est digna dynastæ.
Tu quoq; nunc, liber, i, nidumq; bono omine quære
Inter IOANNIS tablina. At tu, bone RECTOR,
Ne mirare tuo scribi sub nomine librum,
De te ipso scribi cum tota volumina possint.

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

SEPTIMAM hanc lucubrationem P. IACOBI GRETSERI, pro spõtanea flagellorũ Cruce aduersus sectarios, à deputatis ad id Theologis lectam & probatam, ego MELCHIOR HARTELIVS Societatis IESV per Germaniam superiorem Prouincialis, potestate ad id mihi facta ab Admodum R. P. N. CLAVDIO AQVAVIVA eiusdem Societatis Generali Præposito, in lucem exire permitto. Landspergæ Die 4. Aprilis. Anno M. DC. XIII.

MELCHIOR HARTELIVS.

INDEX CAPITVM HVIVS LIBRI.

VIII. *Ca-*

PROGNOSTICON DE LIBRO ZEÆMANNICO CONTRA DISCIPLINAS.

Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi
Cœperit, aut tineas pascet taciturnus inertes,
Tardipedemue Deum, cui charta optabilis esca,
Aut Uticam petet, aut vectus mittetur Ilerdam,
Aut Patrocli sellis aptissima spongia fiet.
Aut cum patre suo capsâ porrectus apertâ
In vicum veniet vendentem thus & odores,
Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis.

Jam ergo prodeat in medium PRÆDICANS HEAVTONTIMORVMENOS:

CAP.I.

CAPVT I.
Caussa huius scriptionis.

NVNQVAM expertus sum magis verum esse illud sapientissimi Salomonis: *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde eius*: quàm dum de Disciplinis, aliisque corporis voluntariis afflictationibus, contra Quinti Euangelij ministros, scribo, librosque in publicum emitto. Quidquid enim hactenus senis lucubrationibus de flagellis, ciliciis, ieiuniis, chameuniis, & id genus aliis disputatum est, id totum Lutherani & Caluiniani Logoduli clam palam respuunt, irrident, subsannant; nõ alia certè de caussa, quàm quia nihil horum *versatur in corde Prædicantico*, omnem enim disciplinam, vitæque asperitatem abominantur & execrantur, & nihil nisi carni acceptum, iucundumque consectantur.

Prou. 18.

Quocirca hîc etiam mihi, & quibuscunq; aliis simile argumẽtum tractantibus, euenit illud Ecclesiastici cap. 22. *Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam.* Quemadmodum enim, qui partes fictilis vasis confracti iterum copulare nititur, vt *vniter* aptæ cohæreant, infusumque liquorem contineant, plerunque inanem operam capit; sic & qui fatuo, hoc est, Lutherano vel Caluiniano Præconi, de flagellis, ciliciis, ieiuniis, humicubationibus, & cæteris huius classis exercitationibus, concionatur, laborem perdit, nam *cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto* (Prædicanti) *sapientiam; & in fine narrationis dicet*: Quis est hic? Quid ergo faciendum? *Super mortuum plora, defecit enim lux eius: & super fatuum plora, defecit enim sensus.* Quæ defectio longè grauior, quàm lucis; tolerabilius enim est luce carere, quàm mente, sed quamdiu deflendus fatuus? *Luctus mortui septem dies: fatui autem & impij omnes dies vitæ illorum;* plangendi igitur sunt toto eo tempore, quo viuunt, quia semper & sibi & aliis non modò inutiles, sed & noxij ac perniciosi sunt.

Quamobrem prudenter Sapiens hoc monitum subiungit: *Cum stulto ne multum loquaris, & cum insensato, ne abieris. Serua te ab illo, vt non molestiam habeas, & non coinquinaberis peccato illius. Deflecte ab illo, & inuenies requiem, & non acediaberis in stultitia illius*, hoc est, tædio & fastidio non afficiet te insipientia illius. Cui consilio

iam pridem paruissem, præsertim, quod ad has de Disciplinis velitationes attinet; si solorum Prædicantium rationem habendam esse existimassem: quibus accinuissem illud cuiusdam Bœotorum stoliditatem perstringentis: O *Bœoti, Bœoti, quàm vehementer estis Bœoti*: & illud alterius in Milesios: O *Milesij, quàm valdè Milesij estis*: O *Prædicantes, quàm semper Prædicantes estis*: Sed obstitit S. Bernardus hæc mihi ex Sermone LXIV. super Canticum Canticorum in aurem instillans. *Nec propterea sanè nihil se egisse putet, qui hæreticum vicit & conuicit, hæreses confutauit, verisimilia à vero clarè aperteque distinxit, praua dogmata, plana & irrefragabili ratione, praua esse monstrauit, prauum denique intellectum, extollentem se aduersus scientiam Dei, in captiuitatem redegit; nempe cepit nihilominus, qui talia operatus est, vulpem; etsi non ad salutem illi, at cepit eam sponso & sponsæ, quamuis aliter: nam etsi Hæreticus non surrexit de fece, Ecclesia tamen confirmatur in fide: & quidem de profectibus sponsæ sponsus sine dubio gratulatur; gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.*

Isid. Pelus. lib. 3. epist. 236.

CAPVT II.

Prædicantibus gratias deberi quia clamoribus suis plures ad disciplinarum exercitationem excitant.

NEquid tamen dissimulem, Logodulis Quinteuangelicis, præsertim Neoburgico & Lauingano, non parum debemus; nam lœdoriis, morologiis, & pseudologiis suis tantum effecerunt, vt non modò argumentum de Disciplinis iam copiosè explicatum & illustratum; sed & flagellorum vsus latius diffusus ac propagatus fuerit; *improbatio quippe Hæreticorum*, inquit S. Augustinus Deum alloquens, *facit eminere, quid Ecclesia tua sentiat, & quid habeat sana doctrina.* *Multa ad fidem Catholicam*, (& ad mores, piasq; exercitationes populi Christiani) *pertinentia*, ait alibi idem sanctus Antistes, *dum Hæreticorum callida inquietudine; exagitantur; vt aduersus eos defendi possint; & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur, & ab aduersario mota quæstio, discendi existit occasio. Vtamur igitur etiam Hæreticis non vt eorum approbemus errores, sed vt Catholicam disciplinam aduersus eorum insi-*

S. Aug. lib. 7. Confess. cap. 19.

Lib. 16. de ciuit. Dei cap. 11.

S. Aug. lib. de Vera Relig. cap. 8.

insidias asserentes, vigilantiores & cautiores simus, etiamsi eos ad salutem reuocare non possumus.

Spermologi ergo Lutherani, quoties seu Germanico seu Latino sermone in verberationis voluntariæ consuetudinem boant & detonant, seipsos plectunt ac puniunt, quia malum nouum sibi creant; nouam scilicet lucubrationem à Catholicis importunitate sua eliciunt, qua veritas asseratur, Hæreticę nebulæ dissipentur; calumniæ disiiciantur, fidelesq; ad opera pœnitentiæ magis excitentur ac inflammentur; qui labor & liber orthodoxis salutaris accidit; Logodulis, vitio suo, noxius, nam & lippientibus non modo sol, sed & *singularis lucerna* officit; non culpâ lucis, sed ob oculorum ægritudinem. Idem in præsenti vsuuenit.

Quapropter hanc septimam pro Disciplinarũ exercitio, scriptionem *Prædicantem Heautontimorumenon*, indigitare volui: nam quoties Lauinganus Præco aduersus flagella, cilicia, & id genus alia ascetica opera nouas chartas in vulgus extrudit, toties seipsum mulctat; rebusque suis & suorum malè consulit, semper enim nobis occasionem suppeditat, ritum disciplinarum magis atque magis elucidandi & dilatandi pluresque ad hanc tam salubrem actionẽ publicè & priuatim exstimulandi. Nam ex quo tempore lis hæc agitari cœpta, non tantum priuatis, sed & publicis disciplinis opera à piis frequentius & feruentius pluribus in locis Germaniæ data est; præcipuè in Quadragesima, eiusque die omnium sacratissima, Parasceue; in qua flagelliferæ supplicationes institui solitæ, non modò quotannis auctiores euaserunt, iis in vrbibus, vbi prius vigebant; sed & alibi nouæ accesserunt, vt hoc ipso anno Salisburgi, & Lunelaci, seu Monseę, quemadmodum à fide dignis accepimus: Nec tacenda Geisenfeldiæ (oppidum id Bauariæ) pietas, cuius incolæ, vt superioribus annis, ita & isto, passionis Dominicæ memoriam non modò gestatione trabalium crucium, sed & Disciplinis tam in Processione solenni, quàm in Templo, coram monumento, Christi sepulturæ repræsentandæ erecto; religiosè ac reuerenter recoluerunt; tanta contentione, vt à verberationibus, pridie Paschalis Festi, ante noctis vndecimam, desitum non fuerit; idque auspiciis Admodum Reuerendi, & perquam eruditi Domini *Leonardi Crantzij* Parochi & Decani Geisenfeldensis, qui cum cura pastorali hoc etiam sibi iniunctum existimat, vt quæ ad Religionem illustrandam, gregisque sibi commissi deuotionem accen-

dendam conducunt, diligenter procuret. Eſt ergo quod gratulemur Prędicantibus fructum, quem ex ſuis lucubrationibus reportant: Iam enim omnes Diſciplinæ euanuerunt: omnes ſacci diſciſſi ſunt, omnes cruces humeris geſtari conſuetæ, flammis abſumptæ. Diffugerunt omnes ſupplicationes & agmina flagellantium, neq; iam amplius Auguſtæ Vindelicorum oculi Volciani & Rûlichiani tam triſti ſpectaculo cruciantur, nec aures abſentium Logodulorum tam moleſto nuncio feriuntur.

CAPVT III.

Ineptiæ Dulologi Lauingani, præſertim circa viuendi rationem S. Ioannis Baptiſtæ.

IN hac ſcriptione Catholici lectoris potiſſimùm rationem habebo; allatis iis, quæ ad amorem ſacræ Diſciplinarum palæſtræ animos inflammare poſſunt; nam Prædicantis affanias, nugas, quiſquilias, quibus papyrum maculat, cur perſequar, Lectoribusque ingeram? Notiſſima iam eſt eius inſcitia, & inficeta inſulſitas, vt & impietas, omnia, quæ carnem & ſanguinem non reſipiunt, ridere & explodere, neque ipſis cœleſtibus parcere ſolita; idque non aliam ob cauſſam, quàm quia Præco iſte apertè cernit, ſibi ad inferos eundum eſſe, ſi via, quam Sancti tenuerunt, hodieque tenent, ad cœleſtem beatitudinem ducat, prout reuera ducit.

De S. Ioanne Baptiſta quod deliramentorũ non effutit? Quomodo ipſa etiam diuina oracula peruertit, ne cogatur concedere, S. Ioannem duriorem vitam duxiſſe, quàm hac tempeſtate ducant Prædicantes. Manifeſtiſſimè teſtantur Euangeliſtæ, S. Ioannem vſq; ad tempus publicę prędicationis ſuę habitaſſe in deſerto. *Et erat in deſertis*, inquit S. Lucas cap. 1. *vſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël.* Quid Prædicans? *Deſertum illud, in quo Ioannes vixit, non vaſta fuit & inuia ſolitudo, ſed terra minus culta & fœcunda, nec frequentibus vrbibus aut villis habitata.* En ſtropham ex pectore alieniſſimo à vita Aſcetica exſculptam; quæ tamen Logodulo huic, gloſſæ vice, ſeruire poterit, ad multa ſacrarum literarum loca illuſtranda, præ-

Pag. 47.

ſertim

ſertim ad illum Matth.4. *Tunc* I E S V S *ductus eſt in deſertum*, hoc eſt, ad locum nec vrbibus, nec villis frequenter habitatum, habitatum tamen; ſed non frequenter. *In deſertum*; non in vaſtam & inuiam ſolitudinem; ſed in terram minus cultam & fœcundam; cultam tamen & fœcundam. Et quamuis S. Marcus cap.1. dicat, Chriſtum in deſerto fuiſſe cum beſtiis; id tamen non obſtat, quia etiam in locis, vbi minus frequenter vrbes & villę occurrunt, reperiuntur beſtię, imo in ipſis vrbibus & villis viſuntur, niſi fortè boues, oues, & equi, &c. non ſunt beſtiæ. Et quamuis Euangeliſtæ ſatis innuant, Chriſtum totis illis quadraginta diebus ita fuiſſe in deſerto, vt ab omni hominum conſortio ſegregatus vixerit, id tamen Prædicantem impedire non debet, quo minus credat, Chriſtum, eo tempore aliquando vrbes & villas in eo deſerto exſtructas, adiiſſe, & cum incolis, relaxationis cauſſa, ſermonibus iucundis, tempus & otium contriuiſſe.

Accedit, quod quamuis ipſum *deſerti* vocabulum, ſtultitiam Dulologi perſpicuè redarguat, quia deſertum eſt, quod à cultu & ordinariis habitatoribus derelictum eſt; attamen non eſt vertendum vitio Prædicantibus, quando nouis vocum ſignificationibus Calepinum aut Daſypodium augere ſtudent, In mente habent illud: *Ego cur acquirere pauca, ſi poſſum inuideor, cum lingua Catonis & Enni ſermonem patrium ditauerit, & noua rerum nomina protulerit?* Itaque Moyſes populum Iſraëliticum in terram promiſſionis duxit *per deſertum*, hoc eſt, per locum minus quidem cultum & fœcundum, cultum tamen & fœcundum; perque locum habitatum quidem, ſed non ita frequenter habitatum, ſicut nunc habitatur Roma, aut Conſtantinopolis, aut Memphis in Ægypto. Pulchrè & ingenioſè.

Nec iniuriâ quæras, an non Ioannes baptiſmum pœnitentiæ annunciarit etiam illis indigenis, in quorum deſerto, ex Prædicantis phantaſia tot annis moratus fuerat? Quia poſtquam ſuper illum *in deſerto factū eſt verbum Domini, venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ.* In deſerto igitur, in quo antea degerat, nullos reperit incolas, alioqui ipſis etiam baptiſmum pœnitentiæ annunciaſſet, & poſtea demum ad loca circum Iordanem habitata ſeſe contuliſſet; niſi parum bene de eiuſdem deſerti ſociis mereri voluiſſet. Teſtatur quidem S. Matthæus exiuiſſe ad Ioannem, *Hieroſolymam, & omnem Iudæam, & omnem regionem circa Iordanem;*

danem;at veniſſe ad illum ex deſerto indigenas deſerti,in quo prius Ioannes ætatem egerat;id Euangeliſta non affirmat; imò ſatis euidenter indicat,Ioannem ex interiore deſerto verè deſerto, contuliſſe ſe ad Iordanem; vbi partim propter accolas, partim propter alios ad famam ſui aduentus accurſuros occaſionem viam Chriſto prẹparandi habiturus erat. Ait enim. *In diebus autem illis venit Ioannes Baptiſta Prædicans in deſerto Iudææ.* Dicit,eum prẹdicaſſe *in deſerto Iudææ*, quod ibi deſerti Iudææ eſſet principium. Vide Maldonatum in cap.3.Matthæi.

De victu & veſtitu Ioannis haud diſſimilia nugamenta profert:quem ait,*non fuiſſe monſtroſum, prout indocti monachi eum concipiunt.* Monachi victum & veſtitum S.Ioannis non aliter concipiunt, quàm à duobus optimis & præſtantiſſimis pictoribus S.Matthæo, & S. Marco depictus, omniumque oculis obiectus eſt. *Ipſe autem Ioannes*,inquit S.Matthęus,*habebat veſtimentum de pilis camelorum.* S.Marcus: *Et erat Ioannes veſtitus pilis cameli.* Habemus veſtimentum. Intuere Zonam. *Et Zonam pelliceam circa lumbos ſuos.* Jta vterque Euangeliſta. Quis cibus? *Eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſylueſtre* . Jta Euangeliſtæ. Quorum plana & ſuapte luce lucentia verba Nouatores tenebris inuoluere iam pridem nituntur,ſed conatu inani. Quidquid enim Catholici ſcriptores ſiue per locuſtas, ſiue per mel ſylueſtre intelligant, illud certum & exploratum eſt, eſcam S.Ioannis fuiſſe vilem, aſperam, & omnis oblectamenti expertem, de qua exſtat elegans epiſtolium Iſidori Peluſiotæ, quod adſcribere placet. *Locuſtæ, quibus Ioannes alebatur, nō animantia ſunt, vt quidam imperitè exiſtimant, ſcarabæis ſimilia; abſit, verum herbarum aut plantarum ſummitates.*) Ita quidem Iſidorus cum aliis nonnullis ex Græcorum numero: ſed certius eſt locuſtas has, nihil niſi locuſtas fuiſſe, vt fusè etiam Zwinglianus Stuckius demonſtrat lib. 2.Antiquitatum Conuiuialium.) *Eodemque modo rurſum non herba quædam eſt mel ſylueſtre, verum mel montanum, quod ab agreſtibus apibus conficitur, ſummeque amarum eſt, & guſtatui omni infeſtum atque inimicum. Quibus ex rebus ſingularem quandam ac fermè incredibilem corporis afflictationem Ioannes præ ſe ferebat, vt qui non inedia duntaxat, verumetiam victus aſperitate omnem corporis appetitionem amaram redderet.* Hactenus Iſidorus.

Iſidor. lib. 1. epiſt. 132.

Fatemur libenter victum & veſtitum ſancti Ioannis non fuiſſe *monſtroſum*, quia Ioannes *monſtrum* non erat. Si quis tamen vel etiam

etiam ipse Ioannes hoc vestitu Lutheranam aut Caluinianam ciuitatem ingrederetur, non secus ac monstrum exsibilaretur; vt & tunc, si Baptistæ victu victitaret. Ait Prædicans. *Ioannem hoc victu & vestitu vsum, quod Nazaræus esset ex vtero.* At ostendat Prædicans locum Scripturæ, vbi hic victus & amictus Nazaræis præscribatur. In libro Numerorum cap.6. copiosè describitur ritus & consecratio Nazaræorum; vbi de vestitu & victu quali S. Ioannes vsus, nullum verbum apparet. Nihil de veste ex pilis camelorum, nihil de Zona pellicea; nihil de locustis; nihil de melle syluestri, nihil denique de deserto, quasi extra hominum societatem viuere debuerint.

Oggerit Prædicans. *Ioannem hoc habitu & cibo vsum, vt frequentior ad ipsum concursus fieret.* Cur idem non fit à Prędicantibus? Certè si Lauinganus *Seminiuerbius* vestimēto ex pilis camelorum contexto amictus esset; nihilque aliud, quàm locustas & mel syluestre esitaret, non tantum totius Sueuiæ, sed & totius Bauariæ ad eum concursus fieret; forsan Italos quoque, Hispanos, Gallos, & à nostro orbe diuisos Britannos ad tam mirificum spectaculum visendum pelliceret. Scilicet *Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem* non exiuisset ad Ioannem, nisi eos hoc insueto victu & vestitu attraxisset; nec turbæ illæ aliud in Ioanne admiratæ sunt, quàm vestem & escam.

Incinit Prædicans: *Ioannem propter rudiores externum prophetarum habitum assumpsisse.* Cur idem non factitatur à Prædicantibus? An in eorum grege nulli *rudes*, quibus hac ratione consulendum sit?

Adiungit ad extremum Logoduliæ Minister. *A Ioanne id factum, vt se ab omni auaritiæ vel ambitionis suspicione alienum probaret.* Cur idem probationis genus à Prædicantibus negligitur? An opus non habent, vt suis ab omni auaritiæ & ambitionis suspicione se remotos probent? Atqui quid arrogantius, quid ambitiosius Prædicante? Nam ab auaritia forsan mundiores sunt; quia pleriq; egent, numerosa sobole onusti. At mendicos itidem summopere auaritiæ morbo laborare posse, quis nescit? Perpetuę querelę, quas primarij Lutherani verbi Therapontes, nominatim Lutherus, effundunt, quasi malè nimisque contentè habeantur, satis indicant, Prædicantibus non deesse plurima acquirēdi & possidendi voluntatem, sed facultatem. Quare Lutherus in cap.28. Geneseos scribit,

bit, ex decimis ali debere *Prophetas*, hoc est, Prædicantes, & *Prophetarum*, hoc est, Prædicantium, *filios, qui esuriunt & sitiunt, sunt nudi & miseri, sicut hodie videre est, quam pauci miseria illa afficiantur, & quàm malignè præbeant hi, qui abundant opibus, ad educandam & instituendam iuuentutem, quæ succedat in locum eorum, qui nunc docent. Ideo valde delectatus sum voce, &c. Ducis Henrici, &c. qui dixit:* **Ich muß dannoch meinen Pfaffen zu essen vnd zu trincken geben.** *Paucissimi verò sunt siue principes, siue priuati, qui laudatissimam hanc vocem aut sonent aut sequantur.* Hæc Lutherus.

Nos ad Prædicãtem Mastigophilum reuertamur, qui de S. Ioanne fabulari pergens, *Nusquam legimus*, inquit, *Ioannem se in deserto cauea vel tuguriolo inclusisse.* Nec de Christo hoc legimus; & tamen Redemptorem nostrum quadraginta dies in eremo versatum esse, nemo dubitat. An eremi incola esse nequit, nisi qui se caueæ aut casulæ includit? Antra tamen deserti Ioannem subiisse, cœli iniuria compellente, cum per se credibile sit, tum à veteri Poëta iampridem assertum est.

Antra deserti teneris sub annis
Ciuium turmas fugiens petisti,
Ne leui saltem maculare vitam,
Famine posses.

Quæ, vt videtur, ex Hymno *Ieiunantium* Prudentij expressa sunt: vbi ista leguntur.

Post in patentes ille solitudines,
Amictus hirtis bestiarum pellibus,
Setisue tectus hispida & lanugine,
Decessit horrens inquinari & pollui
Contaminatis oppidorum moribus.

Quod si vrgeatur Spermologus, vnde sciat, S. Ioannem aduersus ventorum & pluuiarum intemperiem non habuisse casulam, quò se reciperet, quid tandem responsi dabit? Quem Scripturę locum proferet, vt dicto suo fidem faciat? Sic semper garrit, Ioannem, quidquid fecit, fecisse singulari iussu & mandato Dei. At vbi hoc singulare mandatum Dei? Vbi mandauit Deus, vt vsque ad diem ostensionis suæ ad Israël in solitudine degeret? Vbi mandauit, vt vestitu illo & cibatu vteretur? Tale præceptum nunquam nobis

nobis Logodulus exhibebit. Nec Angelus futura Zachariæ patefaciens, & multa de filio nasciturо prædicens, quidquam de vllo mandato aut dixit, aut prædixit: imo nec de habitatione in deserto, nec de cibo vel vestitu vllam mentionem intulit: potuisset enim nihilominus *in spiritu & virtute Heliæ Meßiam* antecedere, licet solitudinem non incoluisset; communique cibo ac vestitu vsus fuisset: in quorum altero ab Helia discrepauit, nuspiam enim in sacris literis proditum est; Heliam locustas & mel syluestre manducasse.

Cum ergo eò impudentiæ Prædicantes progrediantur, vt ipsa etiam exempla vitæ arctioris & rigidioris, quę sacræ literę nobis ad imitationem proponunt, eludere, deprauare, peruertere, & in alienissimos ac absurdissimos sensus detorquere audeant, minus mirari oportet, quando simili petulantia reiiciunt, quidquid à sanctis posterioris ęui, in hoc genere aut factum aut traditū est. Nec planè dogmatibus suis dissentaneè agunt, quando exercitamenta carni molesta, tanquam pestem, fugiunt. *Si enim*, vt habet 31. Articulus Lutheri; iustus *in omni opere bono peccat*; non prorsus insipienter eligunt Logoduli peccare potius in operibus bonis suauioribus, quàm austerioribus, qualia sunt flagella, cilicia, ieiunia, &c. Adhæc, si, vt eiusdem Lutheri 32. Articulus decernit, *opus bonum optimè factum, est veniale peccatum*; idque, vt in Assertione subiungitur; *non ex natura sua, sed ex misericordia Dei*, haud stultissimè Prædicantes agere existimandi sunt, si malunt peccare venialiter iucundiores actiones suscipiendo; quales sunt; *vxorem ducere, esculentis & poculentis largiter indulgere, quàm seueriores*; cuiusmodi animaduersio in propriam carnem per flagella, ieiunia, cilicia, vigiliæ, humicubationes, castitas, &c.

Rursus, cum, vt Articulus 35. Lutheri sciscit, *nemo sit certus, se non semper peccare mortaliter, propter occultißimum superbiæ vitium*, non imprudenter omnino *Quinteuangelici* serui agunt, qui periculo letiferum scelus perpetrandi malunt se in facilioribus & leuioribus, quàm in tristioribus & seuerioribus exercitamentis exponere: quorum corda, si in mortario contunderes, ne miculam quidem amoris erga *disciplinas*, carnisque macerationes extundere posses. Quo fit, vt quidquid pro corpore castigando differitur, id Logoduli respuant; quia, vt cap. 1. ex Salomone dicebam; *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde ipsius*. At quę nam ista? Profectò non verba Prudentię, sed sensa,

dictata & commenta insipientiæ; quibus nisi conformia protuleris, audientiam cum beneuolentia & assensione nunquam impetrabis. Tunc gratus acceptusque Islebici Euangelici præconibus venirem; si cum Luthero vociferarer: *Sola fide omnia transigi; procul habendum & arcendum, quidquid carnem pungit & angit. Monachos fermè tam bonos esse ac Donatistas, qui licet seipsos non interimant, ad Diaboli tamen tribum & classem pertinere, quod dicant. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ possides, relinque parentes, vxorem & liberos, sponsus deserat sponsam, & veni, amplectere vitam Monasticam.* das ist nicht der H. Geist/ so dich diß heisset/ sonder es ist der Teuffel auff deinem Kopff/ darumb immer mit im ins Höllische Fewr/ dann Gott treibt dich nicht von Vatter vnd Mutter/ Mann vom Weib nicht hinweg.

Luther. in cap. 7. Ioan. Tom. 2. Nouorum operum.

Cuius ergo sunt illa? *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ possides, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni sequere me.* Cuius sunt illa? *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Cuius sunt illa? *Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam.* Num hæc, & id genus alia, à Christo processerunt, an à Diabolo, vt blasphemat temulentus Lutherus? Nam si quæ Lutherus à Cacodæmone proficisci criminatur, verè ab illo salutis nostræ hoste proficiscuntur; oportet, vt & quæ ex Euangelistis recitaui, ad eandem originem referat.

Matth. 19.

Matth. 10.

Gratus scriptor & concionator Sectariis acciderem, si cum eodem Luthero, omnes sodalitates & fraternitates præsertim *Disciplinantium nihili ac nauci assererem, nec ad propitiandum cœleste Numen idoneas: sed tam has, quàm omnes actiones nostras damnationi obnoxias,* vnd geht recht zu/ inquit Lutherus, das man hie auff Erden gemartert/ vnd geplagt werd/ mit harter/ doch vergeblicher Heiligkeit/ daß sich deß Teuffels Martyrer damit selbs martern/ vnd darnach dort deß Teuffels ewiglich sein müssen. Hæc & huius classis cætera ex Islebico Tetrapode profusa oracula, Prædicantibus melle & fauo mellitiora adueniunt, vt è contrario omni senticeto asperius & horribilius, quicquid disciplinam, cilicium, ieiunium, vel quid aliud modi huiusce olet. Quod odium tam immane est, vt neque ipsam *satisfactionis* voculā ferre potuerit. Ita enim Lutherus in Assertio-

Luther. in cap. 8. Ioan. Tom. 2. Nouorum operum.

sertione 5. sui Articuli. *Vehementer odi, & sublatum velle hoc vocabulum* Satisfactio, *quod non modo in scripturis non reperitur.* (Etiam vox *Trinitas*, in sacris literis non reperitur, An ideo hanc quoque odisti & eliminatam cupis? An non satis, rem ipsam in diuinis libris exstare?) *Sed & periculosum habet sensum*; Valde scilicet periculosum, quia minatur Prædicantico tergo verbera, abdomini ieiunia, carni cilicia, & alia huius sortis repagula, & ne ad illicita diffluat, retinacula.

Tract. de vtilitate ieiunij.

Cæterum, quod siue S. Augustinus, siue quis alius vetus Auctor, de ieiunio speciatim scripsit; id nos ad Disciplinas, cilicia, reliquasque corporis castigationes accommodemus licet. *Non vobis videatur leuis res, aut superflua* (Disciplinæ, cilicij, ieiunij, humicubationis vsus) *nec quisquis forte hoc faciens Ecclesiæ consuetudine, cogitet apud se, & dicat sibi ipsi, vt suggerentem intrinsecus* (& extrinsecus) *audiat tentatorem* (Prædicantem) *Quid facis, quia ieiunas?* (disciplinam facis, cilicium gestas?) *defraudas animam tuam, non ei das, quod eam delectat, tibi ipsi ingeris pœnam? Tuus ipse tortor & cruciator existis? Deo ergo placet, quia te crucias? Ergo crudelis est Deus, qui delectatur pœnis tuis. Responde huiusmodi tentatori* (Prædicanti:) *Excrucio me planè, vt ille parcat. Do de me pœnas, vt ille subueniat, vt placeam oculis eius, vt delectem suauitatem eius: nam & victima excruciatur, vt in aram imponatur. Minus premet mentem meam caro mea.*

Quod si huiusmodi Prædicans, *malus ventris seruus*, necdum acquiescat: *responde per hanc similitudinem. Si iumento forte insideres, si equo vtereris, qui te gestiendo posset præcipitare, nonne vt securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem fræno non posses? Caro mea iumentum meum est, iter ago in Hierusalem, plerunque me rapit, & de via conatur excludere Via autem mea Christus est. Ita exultantem non cohibebo ieiunio,* (flagello, cilicio, vigiliis, chameuniis?) *vt nobis domitam carnem subiiciamus, & ad obediendum attrahamus? Nunquid ergo odimus, quam nobis cupimus obedire? Dat vnusquisque & in domo sua plerunque disciplinam coniugi suæ, & eam subiugat renitentem, non persequitur inimicantem. Filium tuum domas, vt tibi obediat, nunquid odisti? Nunquid deputas inimicum? seruum postremò tuum diligis & castigas, & castigando obedientem facis.* Hæc verè & piè Auctor ille.

CAPVT IV.

De conuiciis Lauingani Praconis in Iesuitas & alios.

Maledicta, conuicia, & probra, quæ *Seminiuerbius* partim in me, partim vniuersim in totam Societatem nostram eructat, tanti pendo, quanti cassam nucem, aut si quid hac est vanius. *Si improbi bonos odio prosequuntur* (Calumniisq; traducunt ac onerant) *nolite mirari*, inquit Isidorus Pelusiota, *nam & Pseudoapostoli veros Apostolos, & Pseudoprophetæ Prophetas odio habent. Quod ipse quoq; Paulus cum disertè cognitum perspectumq; haberet, scripsit.* Sectare pacem cum omnibus qui inuocant Dominum ex puro corde. *Ne itaque confer culpam in eos, qui inimicos habet, sed qui sibi ipsi inimicos conciliat. Si luci cum tenebris non bene conuenit (neque enim hoc fieri potest) nihil hoc ad lucem. Si non vult impius pietatem amplecti, nihil ad hoc pium: si non vult libidinosus castitatem colere, nihil hoc ad hominem temperantem & castum: si non vult iniustus desistere ab iniustitia, nihil ad hoc iustum, sed ad eos pertinet probrum, qui suæ improbitatis reprehensionem, virtutes proximi esse arbitrantur.*

Isid. lib. 4. epist. 220.

2. Tim. 2.

Non semel exspatiatur Logodulus in malos mores Catholicorum, præcipuè Cleri, qui locus Prædicantium linguis & calamis admodum tritus est: cui repono hos S. Gregorij Nazianzeni versiculos:

Nazianz. Iamb. 19.
Idem in Exhortat ad Virgines.

Hoc posco, generi ne imputes vitæ, malus
Si quis sit; odit hic enim vitæ genus.
Vt Lucifer ceciderit; Angeli cœlum incolunt.
Iudas fuit lues; at vndecim, faces.

Morem suum & suorum non inscitè depinxit Lutherus in cap. 9. Geneseos, cuius verba quid vetat adscribere? *Videmus* (Lutheristas) *hodie nihil aliud agere, quàm vt obseruent totam nostram conuersationem calumniandi studio. Si quid igitur aliquando humani patimur, sicut profectò infirmi sumus, & patimur etiam nostra incommoda, ibi demùm, tanquam famelici porci, immergunt se in stercora nostra, & ex iis delicias faciunt, dum infirmitatem nostram exemplo maledicti Ham, aperiunt & traducunt. Verè enim esuriunt & sitiunt scandala nostra.*

Contu-

Contumeliarum aſpergines, quibus Prædicans clariſſimum & excellentiſſimum Medicinæ Doctorem *D. Hippolytum Guarinonium* aſperſit; erit, qui ſpongia, prout decet, abſtergat. Tantum patienter præſtolare Præco. Veniet is, quem dixi, *abſterſor*, & non tardabit. Tetigerat non ſemel *D. Guarinonius* in ſuo doctiſſimo, & iucunda rerum varietate abundantiſſimo Opere Lutheranos & Caluinianos Dulologos, ſpeciatim quoq; *Gripi* huius ſocerum, Heilbrunnerum, & illum, qui ob furto interuerſam monedulam, tergum ſuum *Diſciplinæ* ceſtibus ſubiicere coactus eſt. Malè hoc habuit Stentorem Lauinganum. Hinc illa teterrimorum in virum pietate & eruditione præſtantiſſimum, conuiciorum plauſtra, & ſcommata pluſquam ſcurrilia; cum mira hallucinatione, quaſi quę de Prædicante, *monedulario*, fure, in *Agoniſtico* ſcripſeram, à *D. Guarinonio* accepiſſem. Quæ quàm à vero deflectant, norunt, qui me & Hiſtoriam illam flagellatoriam propius norunt. Jnterea, dum, quem dixi, cum ſuo peniculo, ad ſputa, maliq́ue oris ac pectoris Prædicantici retrimenta abſtergenda prodierit; *D. Guarinonius* hos S. Gregorij Nazianzeni verſus occaſione conuiciantis Logoduli ſibimet ipſe occinet.

Aegroſne probris mutuis ipſe impetes?
An non furentes pateris hos, qui Dæmone
Agitantur, ac vi perciti horrendum latrant?
Quid? mente captos non feres? certè feres,
Si mentis ipſe es integræ. Quid ebrios,
Quorum Lyæi nimia vis mentem obruit?
Quid, rabidus ad te fortè ſi currat canis;
Quid, ſi camelus quiſpiam ferox tonet,
Gutture, tibiáq; tendat infeſtum caput?
Stabiſne pugnans? Nonne, qui ſapit, fugit?
Quid ſi ſuis te fœda meretrix impetat
Probris? id etenim moris eſt meretriculis,
Pudore quibus eſt affici magnus pudor, &c.
Hæc mente voluens negliges conuicia.

Nazianz. Iamb. 21.

Sed iam propius ad ſpiritualem Palæſtram accedamus; prius tamen lectorem ſcire volo, me in hoc libello contexendo nihil attuliſſe,

tulisse, quantum quidem per memoriam licuit, quod antea in aliis de hoc ipso argumento euulgatis opusculis posuissem; sed sedulo operam dedisse, vt Prædicanticis fauc. bus integra & intacta fercula apponerem.

CAPVT V.

In omni ætate esse Gymnastas & Athletas.

S. Ambr. in Psal. 36.

PVlchrè de hoc S. Ambrosius. *Vtinam ineluctabilis & insuperabilis sit Christi athleta, & in omni ætate, in omni virtutum genere gloriosus; sicut ille ait;* sed in omnibus superamus, propter eum, qui nos dilexit. *Quid est in omnibus? sunt Athletæ, qui vocentur pueri, Ephebi, viri: hoc est*, παῖδες, ἔφηβοι, πύκλαι. *Et scriptura has in luctatoribus nouit ætates, dicente Dauid*: Ne auertas faciem tuam à puero tuo, *Et*; Iuuenis fui; & senui.

Rom. 8.

Quod S. Ambrosius pluribus sacrarum literarum testimoniis confirmare pergit; imitatus, vt alibi sæpius, ita & hic, Origenem, qui in eundem Psalmum XXXVI. commentans, eadem propemodum tradit, triplicis enim generis Gymnastas seu Athletas facit, παῖδας, ἀγωνίους καὶ ἄνδρας, quæ Græca vocabula Latinus quoque Interpres retinuit, per ἀγωνίους, illos, opinor, intelligens, quos S. Ambrosius *Ephebos* seu *Iuuenes* appellat.

Non est autem eadem semper Gymnastarum seu Athletarum fortuna: *Sunt Athletæ*, inquit Origenes, *qui in omnibus certaminibus vincunt, & in omnibus coronantur. Inter Pædas vincunt; inter Agonios vincunt; inter Andras vincunt.* Et hi procul dubio, sunt omnium fortunatissimi. *Alij vincuntur inter Andras sed coronantur, inter Agonios: nonnunquam etiam inter Andras vincunt. Ergo aliquanti semper; aliquanti secundò vel tertiò coronantur. Certè miserum est, & vltimæ infelicitatis in omnibus agonibus tam variis atque diuersis, ne vnam quidem promereri coronam.*

Orig. loc. cit.

Ita ergo & Christianus, cui certamen est, non aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, & aduersus principes huius mundi tenebrarum harum, aduersus spiritualia nequitiæ in cœlestibus; cùm tantos habeat, & tales aduersarios, tanquam Agonista vigilare debet, si fieri potest: vt semper vincat, quotiescunque conflixerit, & primas

Ephes. 6.

inter pædas, id est, inter pueros, statim capiat coronas. Vis tibi ostendam aliquos, qui inter pueros, id est, in primo statim lacte coronati sunt? Respice beatum Danielem, qui à pueritia & prophetiæ gratiam meruit, & iniquos arguens presbyteros, puer coronam iustitiæ & castitatis obtinuit. Vis tibi & alium proferam inter pueros coronatum? Hieremiam vide, qui cùm se propter adolescentiam excusaret à prophetando audiuit à Domino; Noli dicere, quia puer ego sum; quoniam ad omnes, ad quos te mittam ibis, & quæcunque dixero tibi, loqueris. *Sed fortasse adultæ tibi iam istæ videantur ætates. Dabo tibi athletam, qui antè luctatus sit, & vicerit prius, quàm inter homines miserit vagitus. Iacob adhuc intra vterum matris suæ luctatus cum fratre Esau, supplantauit eum, & vicit, ex quo & supplantati & deuicti fratris benedictiones primogeniti à parente suscepit.*

Dan. 3. Dan. 13. Hier. 1. Gen. 25.

At dices. Christianos Athletas aliquando cadere. Sed nos accinemus illud B. Dauidis. *A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius cupiet; cum ceciderit, non prosternetur. In quo ostenditur*, inquit Origenes, *esse aliquos casus, qui tamen non continuò indicent esse victum & prostratum eum, qui ceciderit: sicut enim & in agone fieri solet, vt duobus inter se luctantibus accidat primò quidem cadere vnum, vt cùm ceciderit, surgat & vincat; ita etiam in nostro agone, qui est nobis aduersum principem huius mundi, si fortè acciderit aliquem de nobis vinci, & in aliquo peccato cadere, possibile est, vt post peccatum resipiscat aliquis, & exurgat & perhorrescat malum, quod admisit, & de cætero non solùm contineat se, verumetiam satisfaciat Deo, lauans per singulas noctes lectum suum, & lacrymis rigans stratum suum, accipiens verbum propheticæ auctoritatis, qua dicitur*: Nunquid qui capit non adiiciet vt resurgat? aut qui auersus est, non conuertetur? &c.

Est quidem optabile, vt athleta pietatis ac virtutis maneat semper immobilis, vt ne vnam quidem luctam (vt ita dicam) *perdat, ne semel inclinetur, aut supplantetur. Quod si fieri non potest, sed euenerit eum cadere, non iaceat post casum, ne prosternatur, sed exurgat & emendet culpam, expurget pœnitentiæ suæ satisfactione commissum, ne etiam de ipso Apostolus dicat*: Et lugeam multos ex his, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam de immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt.

Adde aliquando id, quod videtur casus, non esse casum, sed artificium. *Habent hoc luctatores, vt se subiiciant iis, quibus congrediuntur*

S. Ambros. in Psal. 40.

tur atq; luctantur, vt opprimi posse videantur: & subitò cum existimantur elidi, quadam arte se versant, vt effundant superiorem.

Præclarum quidem foret, si omnes in Christiano stadio Agonistæ & Gymnastæ similes essent Philammoni illi Atheniensi, cuius mentionem facit Themistius Oratione prima, quæ *Basanistes*, seu *Explorator* inscribitur, de quo Suidas ὃς πάντα τὸν χρόνον ἐνίκα τοὺς ἀντιπάλους, *qui perpetuò suos aduersarios vincebat*: vel Melancomæ illi, de quo Themistius Orat. 10. *Fuisse olim maiorum nostrorum ætate, pugilem quendam Melancomam nomine ferunt, ab Imperatore Tito vnicè dilectum, qui & pulcherrimus idem, & maximus esset, & in arte sua celeberrimus. Hic nemine vnquam conuulnerato, neque verberato, statu ipso tantum, ac manuum intensione aduersarios fatigabat. Abibant itaque hac hominis indulgentia gaudentes, sed facultate, ac præparatione illius inferiores.*

Sed paucis hæc prosperitas contingit, vt aut semper victores ex arena discedant, aut solo aspectu aduersarios terreant, victasq; manus dare cogant. Præsertim cum vnus ex præcipuis Antagonistis eo sit robore, *vt reputet quasi paleas, ferrum; & quasi lignum putridum, æs, qui quasi stipulam æstimat malleum, & deridet vibrantem hastam: non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret.*

Iob. 41.

Cæterum, quod S. Ambrosius & Origenes scribunt, in omni ætate reperiri Athletas, id etiam de Agone disciplinarum verissimè asseritur, nam & pueros, & adolescentes, & iuuenes, & viros in hoc certamen descendere cernimus, imò & contra leges veteris stadij feminas, cuius rei testis quotidiana experientia, vt & exempla, quę infrà proferemus, inque aliis de hoc ipso argumento opusculis iam protulimus.

CAPVT VI.

S. Paulum in omnium certaminum generibus exercitatum & eximium fuisse.

IN hoc sæculari agone, inquit S. Ambrosius, *alij sunt, qui simplici quodam, & legitimo genere luctantur, & ligaturis tantum corporis certant, verberare non norunt, qui Palæstæ vocantur.*

S. Ambr. in Psal. 36.

cantur. Alij, qui cædem, & pulueris iactum, membrorum nexibus, miscent, omni sibi verberādi Iure permisso; quos παμμάχους vocant: eò quòd omnis litis & pugnæ aduersum se habeant potestatem. Alij, qui cestibus aduersum se decernunt, & dilaceratis capitibus, cruentantur. Hi πύκται feruntur.

Hæc omnia certamina subiit Paulus Apostolus, sicut ipse demonstrat. Itaque alibi dicit; quoniam non est nobis pale aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, &, (vt compendio vtar) aduersus nequitias spiritales. *In Latinis plerisque* colluctatio *reperitur; in Græcis omnibus πάλη scribitur. πάλη enim Græcorum, lucta est Latinorum. Et verè pale: quia, caro & sanguis, & nequitiæ spiritales patientiâ & continentiâ corporis, & animi moderatione superantur. Ira, furor, cædes, arma sunt diaboli. Alibi quoque plagis supra modum cæsum se esse significat, dicens: In plagis supra modum, in mortibus frequenter. Hierosolymis autem, pugnis se esse percussum: vbi cùm interuenientibus militibus aliquando cessassent Iudæi percutere Paulum, ipse Pontifex Ananias circumstantibus iussit percutere os eius, cui respondit Apostolus;* Percutere te incipiet Deus, paries dealbate. *Et tu sedens, iudicas me secundum legem, & extra legem iubes me percuti? Sciuit profectò referire, qui grauiore pugno Pontificem repercussit. Ipse enim corporaliter cæsus est; illi retulit, quòd in animam perculeretur à Christo. In 1. quoque epistola ad Corinthios scribens, ait; Ego igitur sic curro, non vt in incertum: sic enitor non, vt aëra cædens. Quod Latinè dixit, enitor; Græcè ait, πυκτεύω. Et verè, quasi bonus pycta, non aërem, sed aërias potestates, & Iudæorum capita verberabat: quia, caput omnium Iesum Dominum non habebant. In omni itaque certamine Apostolus est probatus; qui etiam coronam cursu consummato accepit. Vnde, & ipse ait;* Omnia possum in eo, qui me confortat.

Ephes. 6. — 2. Cor. 11. — Actor. 23. — 1. Cor. 9. — Philip. 4.

Si Paulus ille talis & tantus, qui quasi alatus per totum orbem transcurrebat, & corporalibus necessitatibus superior factus, & arcanorum illorum verborum auditor, quæ vsque in hunc diem alius audiuit nullus, scribens dicebat: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus inueniar: *Si igitur ille, cui tanta contigit gratia, post tanta & talia opera, opus habebat, vt castigaret, & in seruitutem redigeret, & subiiceret potestati & dominio animæ corporis lasciuias: castigat enim quis quod insurgit, & in seruitutē redigit, quod frena reiicit, quid dicemus nos, qui omnibus virtutibus destituti, omnibus peccatis onerati sumus, & prætereà magnam ignauiam præ nobis ferimus?*

S. Chrysost. hom. 22. in Genesin.

Ne igitur pigeat in vestigiis S. Pauli vestigia nostra ponere; illiusque hypopyasmos & pugilatitios labores subire, & hoc eò magis, quia his aduersus aduersarios nostros exercitationibus multò magis indigemus, quàm S. Paulus. *Nec hoc satis; quia enim certamen nobis est, & agon propositus, etiam legem Agonis nosse debemus. Athleta es?* Quærit S. Basilius. *Attende tibi ipsi, ne quam ex legibus Athletico Agoni præscriptis inueniare transgressus. Nam, nemo coronatur, nisi qui legitimè certauerit. Imitare Paulum, & cursu contendentem & in Palæstra colluctantem, & in agone pugilari decertantem. Vt strenuus pugil ipse habeto animæ oculum nusquam euariantem, sed attentum ac peruigilem. Præmuni ac tuere passis manibus partes, quarum plaga lethalis sit. In aduersarium immotum oculum intendito fixius. In stadiario cursu, qui tibi præcurrunt, in eos te extendens, fac assequaris: sic currito, vt præuertas. In luctamine, repugna inuisibilibus aduersariis. Per vitæ istius curriculum talis vt perseueres, hæc sancit sententia, nimirum animo vt sis non supino, aut concidente, sed arrecto: non dormiturienti, sed peruigili ac sobrio, quique multa cum vigilantia præsens sit, & norit sibi præesse.*

Origen. in Psal. 36. S. Basil hom. in illud: Attēde tibi ipsi.

Denique considera, te, præsente Deo, cum hoste pugnare. Fauet ille, vt vincas: fauet Dominus, vt obtineas. Cùm pugnas, adest: cùm dimicas, præsens est. Tantùm enim virium de eius præsentia concipis, quantum inimico debilitatis accidit. Tu erigeris per virtutem, hostis incidit in debilitatem: tibi arma diuinitus monstrantur; illi malitiæ tela franguntur. Tibi conspectus Dei, virium adhibet incrementa; hosti præsens maiestas adimit nocendi venena. Tibi Angeli plaudunt, illi formidinem adhibent: tibi fortitudo tribuitur, illi malitia infirmatur. Quibus tu foueris, ille opprimitur: quibus tu erigeris, ille prosternitur. In tua pugna, Dominus congreditur. Dominus dimicat, Dominus præliatur, & victoria tibi adscribitur. Certamen tuum, Dei certamen est; prælium tuum, Christi est prælium. Quid trepidas, quid formidas, quasi tua virtute deuincas? Apprehende arma, procede in bellum, fortiter dimica, vt dimicanti adsit ille, qui vinci non nouit.

S. Chrysost. Hom. in illud: Iusterũ animæ in manu Dei sunt Tom. 1. oper. sancti Chrys.

Impossibile est, inquit S. Basilius, *nisi famulatum corporis ad philosophiam obtemperantem habeamus, vel diuinis lectionibus operam dare: vel mente in corpore ægro languente, orationi conuenienter insistere; vel omnino quidquam eorum quæ ad philosophiam conferunt, in nostram sociorumque vtilitatem operari; idcirco,* castigo, *inquit,* corpus meum, & in seruitutem redigo: *insurgere enim aduersus Dominum, per carnis vires ac petulantiam gestiens, per continentiæ flagella coërceo, dominatumq; recognoscere cogo; non enim ita, inquit, ferio, vt immoderatis vulneribus*

S. Basil. lib. de Virgin.

neribus conteram, & inutilem eam ad seruitium faciam, sed ea tantummodo ratio castigandi corpus est, vt seruituti subiiciam, & Domino obsequi ritè compellam. Moderatione igitur opus est, & vt moderatio adhibeatur, prudentia adsit oportet, omnium actionum humanarum sal & condimentum.

CAPVT VII.

Ritus quidam Gymnastici, & Agonistici ad spirituale certamen accommodati.

EXercitatio Gymnastis perpes est ac solẽnis. S. Ambrosius lib. 1. Officiorum cap. 20 *Qui viribus corporis, legitimoque luctandi certamine coronam petunt, quotidiano vsu palæstræ durãtes mẽbra, nutrientes patientiam, labori assuescunt.* Quæ Exercitatio nostris etiam spiritualib⁹ Agonistis necessaria est; nam in hos longè melius, quàm in alios quadrat illud S. Ambrosij in Apologia Dauidis cap. 6. *Exercetur bonus Athleta conuiciis, exercetur laboribus, & periculis, vt dignus sit, cui deferatur corona iustitiæ, & ideo ferenda patienter sunt, quæ putantur aduersa.* Conuicia certè, quæ patienter perferant, nostris Athletis non desunt, & vt deessent, Prædicantes sedulò operam darent, ne deessent.

Quæ tamen susque deque habentur ab illis, qui oculos conuertunt ad Christum, *principem agonis humani, præmiatoremque luctantium*, vt S. Ambrosius loquitur, qui soli genuini & legitimi Agonistæ sunt, non illi in Olympia aut Isthmo. *Luctatores aspicis, vanitas est; quia cernis eos de viridi luctantes corona; illi enim sunt veri luctatores, qui aduersum huius sæculi luctantur illecebras*, ait S. Ambrosius serm. quinto in Psal. 118. Qui serm. vigesimo in eiusdem Psalmi versiculum. *Vide humilitatem meam, &c.* alium athletarum morem innuit, his verbis. *Athleta bonus membra sua monstrat, vt conuersationis suæ approbet disciplinã. Monstrat etiam tunc membra sua, quando post aliqua certamina grauiora, iterum certare compellitur, vt iudex videns fessum corpus, nequaquam eum certare compellat.* Prius illud fecit S. Paulus, cum sub finem Epistolæ ad Galatas ita scripsit. *De cætero, nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.*

Ad posterius non facilè spiritualis athleta descendet, haud ignarus, remissionem quidem aliquam in hac vita interdum concedi, non autem perfectam missionem, cum tota hæc vita sit tentatio & militia. Remissio tamen, vt dixi, conceditur. *Non semper stadium plenum repertum est spectatoribus, non semper certaminibus inquietum, non semper concretum puluere; sed quando certamina, tunc populus in spectaculo, luctator in scammate, puluis in stadio. Vide decursa certamina, conuentus soluitur, discedit vnusquisque aut victor ad gratiam, aut victus ad opprobrium, euehit corona victorem, victum premit verecundia, angit iniuria. Si quis ergo postea ingrediatur stadium, videat vacuum celebritatis, dicat Agonotheta; cur vacat stadium? Cur silent certamina? Cur solennia feriantur? Respondebit qui agoni præest, oportet feriari athletas, oportet spectatores requiescere. Qui enim laboris est fructus nisi requies post laborem?*

S. Ambros. lib. de Helia cap. 21.

Ex his S. Ambrosij verbis solutionem petere possunt Prædicantes, nominatim Volcius, ad illam suam seu quæstiunculam, seu cauillatiunculam; cur solo parasceues festo Disciplinæ ab Orthodoxis suscipiantur? Respondet S. Ambrosius; *Oportet feriari athletas.* Addo; non solo illo die Disciplinę fiunt, sed & aliis temporibus, etiam publicè, præsertim in Quadragesima, vt notum est. Vbi *Disciplinantium* sodalitia in vsu, ibi id quod in publica processione sacro Parasceues festo actitatur, sæpius quotannis, palam & vniuersis inspectantibus peragitur, vt Logoduli ex Appendice ad *Prædicantem Vapulantem* intelligere possunt, si velint.

Athletæ sumus, inquit S. Ambrosius, *in quodam stadio decertamus spiritali, &c.* Quid ergo agendum? Hoc pulchrè nobis expeditum dat idem S. Ambrosius. *Legitimè certandum est. Multa certamina sunt, & qui hodie victus est, cras se reparet. Ante brauium contenditur ad coronam. Postea nunquid athleta otio vacat, cum semel dederit certamini nomen suum? Exercetur quotidie, vngitur quotidie. Ipse cibus ei agonisticus datur, disciplina exigitur, castimonia custoditur. Et tu dedisti nomen tuum ad agonem Christi; subscripsisti ad competitionem coronæ, meditare, exercere, vngere oleo lætitiæ, vnguento exinanito. Cibus tuus cibus sobrietatis sit, nihil habeat intemperantiæ, nihil luxuriæ potus tuus parcior, ne quid ebrietatis obrepat; custodi corporis castimoniam, vt possis esse habilis ad coronam. Nec existimatio tua offendat spectatoris affectum, nec te fautores tui negligentem videant, & deserant spectãtes Archangeli, & potestates, & dominationes, & illa Angelorum decem millia.*

Sub

Sub tantis erubescere considera quàm dedecorosum sit. Ingressus stadium, puluere rigorem animæ tuæ excita, lacertos excute. Progressus in scamma, necesse est, vt excipias puluerem; subeas æstiui solis flagrantiam. Grauis æstus, sed dulcis victoria. Molesta caligo pulueris, sed speciosa tolerantia. Nemo stadium puluerulentus ingreditur, sed puluerulentum reddunt certamina. Vbi colligitur puluis, ibi palma proponitur. Nemo iterum nitidus coronatur, puluerulentum decet victoria. Veni ergo Domine Iesu, exeat corona tua, admitte victores in requiem; victos ad compunctionem, &c. Gaudent athletæ, qui possunt dicere. Veniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Non igitur in hac vita palma datur, sed in altera.

Nonne euidens est, meritorum aut præmia aut supplicia post mortem manere? Et rectè, quia in certamine labor est, post certamen aliis victoria, aliis ignominia. Nunquid priusquam cursus conficiatur, palma cuiquam datur, aut defertur corona? Non potest quis præmium accipere, nisi legitimè certauerit. Nec est gloriosa victoria, nisi vbi fuerint laboriosa certamina. Nonne iniustus est, qui antè quærat præmium, quàm certamen fuerit absolutum? &c. Futuram, non præsentem; in cœlo, non in terra mercedem promisit esse reddendam. Quid alibi poscis, quod alibi debetur? Quid præproperè coronam exigis, antequam vincas? Quid detergere puluerem, quid requiescere cupis? Quid epulari gestis, antequam stadium soluatur? Adhuc populus spectat, adhuc athletæ in scammate sunt, & tu iam otium quæris?

S. Ambros. lib. 1. officiorum cap. 15. & 16.

Sed fortè dicas: cur impij lætantur? Cur luxuriantur? Cur etiam ipsi non mecum laborant? Quoniam, qui non subscripserint ad coronam, non tenentur ad laborem certaminis. Qui in stadium non descenderint, non se perfundunt oleo, non obliniunt puluere. Quos manet gloria, exspectat victoria. Vnguentati spectare solent, non decertare, non solem, æstus, pulueremque, imbresque perpeti. Dicant ergo & ipsis athletæ. Venite, nobiscum laborate. Sed respondebunt spectatores; Nos hic interim de vobis iudicamus, vos autem sine nobis coronæ (si viceritis) gloriam vendicabitis. Isti igitur, qui in deliciis, qui in luxuria, rapinis, quæstibus, honoribus studia posuerunt sua spectatores magis, quàm prælatores sunt.

Adde ad extremum, quod à S. Gregorio Nazianzeno Orat. 1. scriptum est. *Præter ea, quæ legibus statuta sunt, luctari vel aliud quoddam certaminis genus obire nemo licet, aut alioqui omnium clamoribus exagitabitur, ignominiaque afficietur, ac victoriæ iacturam faciet, qui per-*

peram luctatus fuerit, aut aliud quoddam certaminis genus non rectè obierit, nec iuxta constitutas certaminis regulas, quantumuis alioqui fortis sit, artisque peritissimus. Eadem in spiritali agone locum habent: quia νομίμως, *legitimè*, siue ex legum præscripto decertandum est: & qui vel contra vel præter leges agit, ille legitimi Agonistæ nomē haud meretur.

Obserua autem Heliæ Cretensis in prædicta S. Gregorij verba seu scholium, seu commentarium. *Quinque apud Græcos certamina erant, pugna seu πυγμή, lucta, cursus, iaculatio, discus. Pancratium autem ex pugna seu pugilatu & lucta compositum erat. Huic porro, qui Pancratium exercebat, non tantum luctæ, sed & pugnæ seu pugilatus legibus vti licebat, atque per omnes vtriusq; certaminis modos eniti: hoc vno excepto, quod aduersarium mordere, atque oculos ei effodere minimè liceret. Quare qui hoc transgressus esset, etiamsi aliis omnibus rebus vicisset, ac fortitudine omnes superasset, non vt victor corona donabatur, verùm ab vniuerso theatro sugillabatur.* Sed hæc obiter.

CAPVT VIII.

Catalogus Gymnastarum, qui partim sua, partim aliena manu flagellis in carnem suam animaduerterunt.

VEreor fore, vt animis linquantur Prædicantes, si hoc caput auspicer à verbis S. Cypriani, ex libro de Disciplina & habitu Virginum desumptis. *Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper, ac iugiter Deo viuere, & ad promissa cœlestia & diuina præmia peruenire. Hanc & sectari salubre est, & auersari ac negligere lethale. In Psalmis loquitur Spiritus sanctus:* continete disciplinam ne fortè irascatur Dominus, & pereatis à via recta, cum exarserit citò ira eius super vos.

Psal. 2.

Sed animam, vt spero, statim recipient, si naribus suis hunc ex Luthero odoriferū fasciculum admouerint: nam Coproprópheta Lutherus in *Postilla Ecclesiastica* Domin. 2. Aduentus illud Lucæ 21. *Et in terris pressura gentium* (quod est vnum ex signis nouissimum iudicium antecedentibus) ita Germanicè vertit. Vnd auff Erden

Erden wirdt den Leuthen bang sein/vnd werden zagen. Cuius pressuræ & angustię effectus ait esse, *vota, peregrinationes, Ecclesiarum & Monasteriorum exstructiones ac fundationes, Missas, Vigilias, Disciplinas seu flagella.* Etliche peitschen vnd martern sich selbs/ etliche werden Münche/vnd das sie vil thun/werden sie Cartheuser. *Aliqui flagellant & cruciant seipsos, nonnulli fiunt Monachi, atque adeo, vt studium suum abundè probent, Carthusiani.* Si igitur disciplinas facere profluit ex pressura gentium, de qua Christus Luc. 21. oportet, finem mundi non procul abesse. Et mirum hac communi pressura nullum Luthericolam aut Caluinisequã ita premi posse, vt ad *Disciplinam* confugiat, cum tamen illa ærumna & angustia ad omnes omnino pertineat, ex Christi prædictione ac vaticinatione.

Cur non cum Iobo scindunt vestimenta sua, cum sine vlla dubitatione calamitas, de qua Christus Lucæ 21. & quam Lutherus iam non semel venisse autumat, grauior sit, quàm illa, quæ Iobo euenit; vtpote *arescentibus hominibus præ timore & exspectatione, quæ superuentura sunt vniuerso orbi.* Et cur Iob vestimenta sua scidit? Vt promptior & expeditior ad plagas suscipiendas esset; *sine mora semetipsum ad ipsas præparans plagas,* vt dicit Origenes. *Ecce, inquiens, dorsum nudum. Ecce corpus detectum. Vos flagellate. Ego autem sufferam. Vos flagellate; ego autem sustinebo; dicẽs cum Hieremia:* Dorsum meum dedi ad flagella: *dicens cum Dauid.* Supra dorsum meum flagellauerunt peccatores. Quod verius vix vnquam erit, quàm si Prædicans suum dorsum pulset, aut ab aliquo symmysta pulsandum curet.

Orig. lib. 1. in Iob.

Id vt eò alacrius faciant, En tibi exempla, in quibus sua vestigia ponere ac figere queant. Nec est, quod paucitatem causentur, hanc enim abunde supplere & locupletare possunt ex aliis sex de hoc argumento iam publicatis libris, vbi Prædicantibus huius generis fercula tam varia & copiosa apposuimus, vt ipsi varietatem ac copiam obstupuerint. Ex magno igitur & lauto conuiuio his fragmentis in præsentia contenti sunto.

De Ioanne Firmano adhuc adolescentulo hæc prodidit sanctus Antoninus part. 3 Histor. tit. 24. cap. 7. § 5. *Factus septem annorum aliorum fugiens consortia puerorum, ibat solitarius ad quendam agrum, vbi flens amarissimè passionem Dominicam, se vsque ad sanguinis effusionem copiosissimam flagellabat. Deinde consuebat sub vestibus vrticas, colli & corporis afflictiuas. Et vt postea existens in ordine familiariter dixit socio suo, vix aliquod asperitatis genus cogitare potuit, quod non*

expe-

experimento probasset. Et cum adhuc esset decem annorum, circulum ferreum, & loricam portabat ad carnem: cuius annuli seu mallei, vt sigillum in cera liquida sepeliebantur in carne tenerrima pueri, Crucem autem stricta abstinentia continuè baiulabat.

Vrticæ, quarum meminit S. Antoninus, monent me, vt Prædicantes mittam ad Regulæ Eremitarum S. Augustino adscriptæ caput 27. vbi aliquid de vrticis reperient, quod forsan imitari iuuabit, nisi malint adhuc mirificentius carni reprimendæ medicamentum; literis à Palladio in Lausiaca Historia commendatum.

De abstinentia eiusdem Ioannis Firmani ita scribit idem sanctus Antoninus. *Antequam veniret in Auernam de Marchia, fecit totam Quadragesimam S. Francisci cum herbis crudis & aqua, præter dies Dominicos, &c. Nam per triginta annos aquam tantùm bibebat. In Quadragesima verò maiore, comedebat parum panis hordeacei vna die; alia pugillum fabarum madefactarum; altera, modicum herbæ crudæ. Et hæc erat alternatio ferculorum.*

Hic occurrunt mihi verba S. Gregorij Nazianzeni epist. 188. nouę Editionis. *Veteribus athletis à iuuenibus honor habetur, & quidē tantus, vt etiam victoriæ præmia ipsi offerentes, iuxta palæstræ leges grati animi officio fungi existimentur.* Quid Prædicantes offerent huic, quem iam produximus, Athletæ seu Gymnastæ? Equidem haud coronam, sed conuicia, criminationes, calumnias. Cum enim nec ipsi S. Paulo parcant, quomodo parcerent his tanto tempore posterioribus athletis?

In aliis opusculis meis proposui Prædicantibus etiam exoticæ Disciplinæ exempla, imò integra agmina suam carnem flagellantium produxi; idq; ex variis Epistolis & Relationibus Indicis. Suppetunt autem non pauca recentioris memoriæ; quæ Logodulis contemplanda offerrem, nisi id superuacuum ducerem, cum ea cuiuis petere promptum sit ex epistolis, de rebus Indicis, quæ subinde Latina & Germanica lingua prodeunt, siue enim ex India, quæ ad Occidentem sita est, apportentur; vt ex Mexicano Regno, ex Peruano, ex Insulis Philippinis; siue ex Brasilia ad Austrum; siue ex India Orientali, siue ex Iapponia, & China, siue ex ipsa Mogorica prouincia, plerunque non tantum priuatas, sed & publicas *Disciplinas* à Christianis locorum illorum suscipi consuetas, nobis exhibent, nec tantùm ad spectationem, sed & ad imitationem repræsentant.

Jucunda & lepida est illa de pueris Scholasticis Historiola, quam ex vita S. Dunstani refert Vincentius. *Moris erat in eodem monasterio, pueros omnes in schola verberari ante quintum diem natalis Domini, non pro culpis eorum, sed ex vsu tantùm. Rogati sunt Magistri, vt condonarent illum diem, qui noluerunt, sed omnes ad virgas se præparauerunt. Ea nocte adstitit in visu vni puerorum Dunstanus dicens: Cur tantùm pauidi estis ô pueri? Quia, inquit, Domine, furor Magistrorum sedari nequit. Ne timeatis ait. Ego eum sedabo. Ego sum Dunstanus pater huius monasterij. Hoc tibi erit signum, quia liberabo vos.*

Vincent. li. 24. cap. 93.

Et post nonnulla. *Iam aurora illucescebat, hora pueris tremenda, & Magistri stabant armati corrigijs nodosis, exspectantes pueros ante se transituros. Et ecce subitò omnes Magistri obdormierunt, & pueros per medium transeuntes, non fuit qui tangeret.*

Non abs re foret, si Prædicantes similem consuetudinem & processionem introducerent; ita vt quilibet eorum, non tantùm semel, sed sæpius quotannis, nudo dorso, per longissimam aliorum symmystarũ scuticis, loris ac virgis armatorum, seriem ire, ac identidem, gressu reciproco, redire cogeretur; illis tergo euntis validos ictus incutientibus. Laudabile prorsus hoc institutum esset; nec fortasse Prædicantibus penitus displicebit. Saltem optarem, si quid optando consequi possem, vt hæc verberatio pars esset chirotoniæ & initiationis Prædicanticæ, ita vt nulli aditus ad cathedram pestilentiæ & functionem Logoduliæ patefieret, nisi septuagies septies per huiusmodi virgatorum agmen cucurrisset. Nec vllum periculum à S. Dunstano imminebit; vt Flagellatores illos sopiat. imò vires & vim vigilandi addet, quò cædendi munere valenter fungi queant.

Anno M.D.XLIV. venit ad comitia Spirensia, principum accersitu, Georgius Wicelius; qui eorundem comitiorum Diarium confecit, in quo ad Hebdomadis Maioris Quintam Feriam, dicit, vidisse se deuotione Hispanorum frequentissimorũ calentia templa, mirandam gentis religionem, vltroneas verberationes, Cæsarem lauantem pedes XII. pauperum, edentibus ministrantem, dotantem veste, & pecunia; vt ex eodem Wiceliano Diario refert *R. P. Christophorus Brouuerus* Fuldensium Antiquitatum libro quarto.

Jn vrbe Ægyptia Busiri celebrabatur olim festum, *quo post sacrificium cuncti sese diuerberabant, multa sanè hominum millia*; vt lib. 2.

testatur Herodotus. Ad hoc solenne, nullus profectò Prædicans sese contulisset, verberum metu & odio.

Forsitan à Disciplinarum palæstra abstinent, veriti ne ob notam seu maculam aliquam reprobentur. Nam quid in Agonibus sæcularibus fieri soleat, exposuit nobis S. Ioannes Chrysostomus Homil. 61. ad populum Antiochenum. *Dic mihi, quæso, in Olympiacis certaminibus, nonne adstat præco, magnum clamans, & altum: Num aliquis hunc accusat dicens: Num fur est & seruus? Num prauorum est morum?* (Nemo enim malæ palam notæ ad agonem illum admittebatur) *cum tamen illa certamina non animæ sint, neque bonorum morum, sed roboris & corporis.*

Eiusdem moris testem habemus Themistium, in oratione quę *Basanistes* seu *Explorator* inscribitur: nam *turpe arbitratur, Eleos & Pisatas olympiacum illum oleastrum tam magnificè celebrare, neminem vt ad certamen nudari patiantur, nisi patrem suum, ac matrem, & stirpis integram ac sinceram radicem, comprobare poßit, præsertim, qui corporum duntaxat certamen instituant, in quo corporum rationem habere sufficeret, validáne sint ac firmiter compacta*: Philosophos autē, quemuis absque vllo examine, ad Philosophiæ adyta admittere. Addit, Philammonem nunquam impetraturum fuisse, vt curriculo puluerem Olympicum colligeret, nisi *testem se generis eius Aristoteles professus esset, eumque in filium adoptasset.*

Verumenimuerò in hoc nostro stadio tam seuerè non agitur, cui omnis ille idoneus censetur, qui malè commissa expiare, & à committendis sese præmunire, carnemque spiritui subiicere cupit. *non enim est distinctio Iudæi & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum.* Itaque non est, cur Prædicantes se ἀδοκίμους seu reprobos & reiiculos fore timeant, si in hanc palæstram ingredi, & in hanc disciplinam nomina sua seriò dare velint. Nam, (vt hoc obiter moneam) quòd bonus ille senecio Drusius lib. 6. *Præteritorum*, existimat, in illis Apostoli verbis 1. Corinth. 9. *Ne cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar*; esse translationem *ab argento adulterino, minimeq; probo ac puro, & à scoriis repurgato*, quod vocant ἀδόκιμον ἀργύριον, planissimè hallucinatur; est enim metaphora à re Gymnastica seu Athletica, vt ostensum in Athletica spirituali, & textus ipse Apostoli id satis demonstrat, cum quidquid aliquot periodis ibi scribit, id totum ex agonibus olympicis, aliisq; id genus desumptum sit.

Quod

Quod si Lutherani & Caluiniani Logoduli probati legitimique Gymnastæ fieri cuperent, priuatim prius in athleticis laboribus desudare deberent; more veterum pugilum, de quibus S. Basilius: *Illi mille supra mille patientes labores, & multis modis robur ac vires sibi comparantes, multumque in gymnicis sudantes exercitationibus, plures insuper plagas à pædotriba accipientes, diætamque non iucundam, sed gymnasticam subeuntes, & alia perquam multa (ne per singula discurram) sustinentes, sanè ostendunt, vt omnis ferè vita ante certamen sit certaminis exercitatio & præparatio. Tunc demum probè instructi ad stadium procedunt, vbi & laborant rursus, & maximè periclitantur, vt oleastri aut apij seu cuiusuis alterius frondis coronam accipiant, vt à præcone victores declarentur. Nobis autem, quibus vitæ præmia à Deo siue magnitudinem illorum, siue multitudinem aspicias, miranda proponuntur, vt explicari sermone nequeant: hæc dormitando & sine cura viuendo, altera manu tantùm capere speramus? Hoc fermè modo & desidia laudaretur, & Sardanapalus, vel Margites ille, quem nec arasse, nec fodisse, nec aliquid aliud eorum, quæ sunt in vita necessaria, gessisse Homerus dicit, primas in felicitate partes tenerent.*

S. Basil. orat. de legendis libris Gentilium.

Et tamen Lutherus suis Athletis, seu Pseudopyctis, aliam sese exercendi rationem non præscribit, quàm *Sardanapalicam* & *Margiticam*, hoc est, in otio & segnitie, atque adeo in confidentia quadam inanissima sitam. Aliquando iactant quidem isti labores suos gymnasticos; sed intelligentibus risum mouent, & mihi etiam in memoriam reducunt illud Themistij Oratione secunda. *Athletam illum ridiculum esse* (constat) *qui alteras suos ostentans, & gymnasia numerans molles nihilominus & ignauos humeros circumferret, & ceruicem præ luxu ac deliciis frangeret, postea in stadium ad certamen prodire nec posset, nec vellet, sed in balneis & puerilis palæstræ certamine residens, lauantibus luctas recenseret.* Nihilominus non nisi istos, generosos scilicet Athletas, Prædicantes prædicant & decantant. At præclarè Themistius Oratione 4. *Neque Athletam eum coronari ac celebrari omnium existimatione video, quem Magister ludi solus, aut compotores laudauerint, sed quem multi in gymnasiis ipsius ceruicem facilè luxantem & halteras portantem viderint.*

Sed ad rem. Exemplum flagellationis ab aliena manu subitæ, suppeditat nobis Bonifacius, Marchio Canusinus, qui Disciplinam à Guidone Abbate accepit, ob Ecclesiasticas dignitates venditas; quem sacrilegij huius tanta pœnitentia ceperat, vt Hieroso-

lymam quoq; piaculi caussa adire statueret: & propositum ad rem contulisset, nisi mors vitam abrupisset, vt scribit Domnizo in vita Mathildis Comitissæ.

De Wazone Episcopo Leodiensi; qui Episcopatum iniit anno Christi M.XLII. ita Anselmus Canonicus Leodiensis in libro de Gestis Pontificum Traiectensium & Leodiensium cap. 91. *Certis diebus, nudato dorso, disciplinari virga flagellandum se præbebat, districtè contestans percussori, vt nec in feriendo parceret, nec secretum proderet.*

Tristissimum exemplum Disciplinæ ab aliis, duris sanè virgatoribus inflictæ, commemorat Cromerus lib 9. de Rebus Polonorum. *Non libet miraculum silentio præterire, quod illo tempore multis testibus accidit. Homo quidam splendidus, equestris ordinis, sed violentus & rapax, & suis iuxta ac alienis hominibus grauis, cum grauiter ægrotaret, admonitus crebrò à religiosis quibusdam viris, vt ad Dei clementiam confugeret, animæ suæ saluti consuleret, negauit sibi veniæ locum relictum esse: iam enim, diuino iudicio, traditum se esse Dæmonum potestati: Nec mora; audiuntur à circumstantibus vehementium verberum & percussionum strepitus. Apparent in corpore ægroti, fœdi liuores atque vibices, ita vt omnes obstupescerent. Inter hæc ille infelix nullam vocem, nullumque gemitum edens, ter infelicem animam exhalauit: hic orsus supplicia, quæ deinde apud inferos æternùm expenderet: vt esset exemplo iis, qui ex aliorum incommodis student sua commoda parare*, & Prædicantibus etiam qui Religiosas Disciplinas non desinunt insectari ac subsannare.

CAPVT

CAPVT IX.

Index eorum, qui ciliciis, & id genus aliis asperitatibus sua corpora castigarunt.

PRæclarè magnus ille Theologus Gregorius Nazianzenus, Oratione in Macchabæos. *Athletas quouis tempore ac modo, ex omni genere & ætate, siue aperto bello lacessantur, siue occultis insidiis appetantur, habere cupio; ac tum priscis, tum recentibus historiis adiuuari, atque, apum ritu, ad vnius faui confectionem ac suauitatem vtilissima quæque colligere, vt & per antiquum & per nouum Testamentum in nobis celebretur.* Et quidem in Athletica, (vt & in aliis de hoc argumento opusculis) plurimos protulimus tam veteris; quàm noui Testamenti, qui ciliciis, saccis, chameuniis seu humicubationibus, nudipedalibus, & id genus aliis afflictationibus sese vel mulctauerunt, vel certè tali habitu alios ad misericordiam inflectere, & vel suorum vel alienorum scelerum hoc supplici gestu veniam impetrare studuerunt. Isaiæ datum est hoc præceptum à Domino. *Vade & tolle saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus & discalceatus.* Si hoc mandatum Deus alicui nostratium Prædicantium daret, saccum quidem, si quem inuitus tulisset, æquè alacriter, ac asinus *molendinarius* seu *molitorius*, deponeret: Nudipedalia autem sibi persuaderi haud sineret, metuens ne haberetur pro Monacho, si non huius, saltem prisci illius æui. Isaias tamen nihil cunctatus diuina iussa capessere; *Et fecit sic, vadens nudus & discalceatus.*

Isaia 20.

Ezechias Rex, vt eò citius opem cœlestem aduersus Assyrios impetraret, *obuolutus est sacco. Et misit Eliacim, qui erat super domum, & Sobnam Scribam, & seniores de sacerdotibus opertos saccis ad Isaiam filium Amos Prophetam.*

Isaia 37.

De Ascetis nouæ legis cum sæpe aliàs S. Ioannes Chrysostomus, tum Homil. 56 ad populum Antiochenum. *Vestis eis (Monachis) fortitudine digna: non enim caudatis vtentes vestibus, iuxta eneruatos & molles, induuntur, sed iuxta beatos illos Angelos, Heliam, Heliseum, Ioannem, secundum Apostolos: cum vestimenta sint ipsis parata, his quidem ex caprarum pilis, his autem ex pilis camelorum.*

 Idem

Idem S. Chrysostomus Homil. 42. in Genesin. *Quando videris virum vili externo habitu vestitum, virtute verò intrinsecus amictum, ne contempseris, quod apparet; sed animæ diuitias disce, & internā gloriam, & videbis vndequaque fulgentem virtutem. Talis erat B. Helias, qui meloten tantùm habuit, & purpura vestitus Achab, illius melote indigebat. Vidisti Achabi inopiam, Heliæ autem diuitias? Vide & quantum potestate distent. Melote huius cœlum clausit, pluuiarum descensum sistit, & lingua Prophetæ frenum fuit cœlo, & annis tribus & sex mensibus pluuia non fuit: Purpura autem amictus & diademate, circumibat quærens Prophetam, & nihil lucri ex sua potestate habebat.*

Ad idem vestimenti genus allusit S. Basilius epistola ad Monachum lapsum. *Sacco aspero corpus tuum compungens, & cingulo duro lumbos adstringens toleranter ossa tua comprimebas.*

In Capraria Insula multos olim habitasse Monachos, planum fit ex Hodœporico Rutilij, & ex epist. 81. D. Augustini ad Eudoxium Abbatem Monachorum Insulæ Caprariæ; vbi eleganter sanctus Augustinus de Eustachio eiusdem loci Monacho in Africa defuncto; *Quorum Eustathius in eam requiem præcessit, quæ nullis fluctibus, sicut insula tunditur, nec Caprariam desiderat, quia nec cilicio iam quærit indui.*

S. Ioannes Chrysostomus Homil. 57. ad populum Antiochenum explicans gratiarum actionem, qua post sumptum cibum, Eremi Incolæ, Monachi vti solebant; in qua etiam nouissimi iudicij mentio fiebat; ita scribit: *Si illi ieiuniis & humi stratis cubilibus, vigiliis, & sacco, & innumeris semetipsos modis domantes, etiam huius indigent commonitionis: quando nos vnquam mansuetè poterimus viuere, qui mensas apponimus infinita ferentes naufragia, nec vnquam penitus oramus, nec in principio, nec in fine?* Ex quibus verbis non modò asperum vestitum, sed & alias castigationes; quibus sancti illi carnem macerabant, & quidem *innumeras*, habes, vt inquit S. Chrysostomus. Cur autem in his innumeris non numeremus etiam voluntaria verbera, caussæ nihil suppetit.

Vsum cilicij declarat nobis S. Basilius in Regulis breuioribus quæst. 90. Ait enim, τρίχινα seu cilicia, *non esse introducta, vt corporali necessitati per illa subueniatur*, sed ob κακουχίαν καὶ ταπείνωσιν τῆς ψυχῆς, *vt corpus affligatur, & anima humilietur.*

S. Gregorius Nazianzenus carmine 47. quod est *ad Hellenium pro Monachis*, in quo Monasticam disciplinam copiosè percenset,

non

non obliuiſcitur ferrearum compedum, ciliciorum, humicubationum, & id genus aliorum, quæ ad auſteritatem vitæ ſpectant.

Οἱ δὲ σιδηρείῃσιν ἀλυκτοπέδαις μογέουσι,
Τήκοντες κακίην σὺν* χροῒ τηκομένῳ.

Alij ferreis compedibus constricti laborant.
Tabefacientes malitiam cum tabefacto corpore.

* χροΐ

De iiſdem in eodem carmine.

Νήλιποι, ἀναλέοι, πενθήμονες, οἰοχίτωνες
Νεκροὶ ἐπιχθόνιοι, ζῶντες ἄνω πραπίσι.

Quos verſus ita vertit Billius.

Qui pede ſunt nudo, duplici ſine veſte, gemuntque
In terra exanimes, mente polumque tenent.

De fœminis, quę Deo pudicitiam conſecrarunt canit idem S. Gregorius.

Scilicet his etiam ſaccus niger oſsibus hæret.
Inque ſolo cinis eſt, arma pudicitiæ.
Charaque inſomnes noctes, gemitusque, precesque:
Et facies calidis fletibus ipſa madet. **Ibid.**
Te moueant noctis cantus, lucisque labores
Teque χαμευνίη, te gemitusque graues.
Te ſaccusque lacer, confectaque lumina fletu.

Τείχινον ῥάκος habet textus Græcus.

Jn carmine Anacreontico ad ſuam animam:

Τὸ δ᾽ ἔσθος ἢ καμήλων
Τρίχες, νόμῳ δικαίων.
Ἢ καὶ δέρος, παλαιᾶς
Γυμνώσεως κάλυμμα.
Στιβὰς μὲν οἱ τυχοῦσαι,
Ποαὶ κλάδοι τε θάμνων.

Sit veſtis aut cameli
Pili, velut Prophetæ;
Aut nuditas tegatur
Antiqua pelle vili:

Vulga-

Vulgaris & thorus sit
Herbæ frutex q; casus.

De iisdem Palæstritis & Agonistis idem S. Gregorius Nazianzenus in carmine Iambico XVIII. quod de virtute inscribitur, ita canit, Billio Interprete:

Hinc pars, catenis corpus adstringens suum,
Exstinxit omnem funditus petulantiam,
Pars domibus arctis, quas q; sol nunquam videt,
Vel clausa quodam rupis exesæ cauo,
Damnum repressit, quod vagi sensus ferunt;
Loca sola, quos & incolunt saltus feræ,
Scelus vt ferinum fugeret, haud tardo pede,
Pars petiit, aui transigens nouum genus
Mundum sciens hoc, quod videt, tantummodò.
Est cui cinis q; saccus & cum lacrymis,
Humi q; captus somnus inflexit Deum,
Statio & dierum plurimorum & noctium,
Et mensium etiam: siquidem annos dixero,
Non credet ingens agmen: at credam tamen,
Credent q; pariter, mira res visa hac quibus.
Figebat illos nam fides, Dei & metus,
Animum ante tempus abstrahens à corpore.
Haud vsitatum prandium quin audies,
Cineri calentes lacrymas mistas simul,
Sine pane sunt qui vixerint, aqua & sine,
(Natura leges habeat aduersas licet)
Zelo ferente prorsus insuetam ad viam.

Et post varia Ethnicorum fortia facta percensita, quæ cum nostrorum præclaris certaminibus æquari posse negat, subiungit S. Gregorius.

Tu verò Pisam, Delphicum tu puluerem,
Nemeam q; iacta, & Isthmiam pinum insuper,
Per qua iuuentus misera quondam claruit,

Statuens

Statuens palæstris præmium exiguis leue,
Pugnaq́; lucta &, cursibusq́; & saltibus:
Magnum in quibus nec vincere est, nec cedere.
Nam nec salus hic, præmium, nec est Deus,
Vt est palæstris in meis: superum est quibus
Decus, & coronas colligunt sancti viri.

In exhortatione ad Virgines ita canit.

Remedia pro pudicitia habes plurima.
Metus Dei obfirmet, cibus vacuet leuis.
Preces, vigiliæ, lacrymæ, cubare humi.

Idem Nazianzenus in Carmine quarto, *de animæ suæ calamitatibus*, hæc de seipso memoriæ prodidit, quæ sanè nullus Prædicans verè de se seu soluta seu ligata oratione prædicauerit.

Impono claustrum ventri, mærore animumq́;
Conficio, & lacrymis os madet omne meis.
Curuo genu afflictum Regi, somnumq́; repello:
Lugubris vestis squallida membra tegit, &c.
Ast ego iam mundo sum mortuus, hincq́; pusillum
Iam spiro, atque vrbes vito, hominumq́; genus.
Cum scopulis, trucibusq́; feris ego dego, domumq́;
Petram habeo: hic vitæ tempora solus ago.
Non mihi calceus est, non est focus, vnica vestis,
Spe viuo, vt labes sum quoque terrigenis.
Pro lecto mihi sunt paleæ, pro tegmine saccus;
Et madidus lacrymas puluis ob assiduas.
Ferrea permulti gestantes vincla gemiscunt;
Est aliis sursum sordibus esca cinis.
Pocula sunt aliis fletu permista calenti,
Altera brumali pars petiturq́; niue.
Statq́; quater denis, velut arbor recta diebus;
Subiectum ad cæli culmina pectus habens:
Nilq́; aliud prorsus, quàm Christum, mente volutans.
Linguam alius fræno, pressaq́; labra tenet:

Sic tamen, vt pateant hymnis, atque vt lyra viua
Pulsentur digitis pneumatis ætherij.
Ast alius, voti vt Christo persoluat honorem,
Intentum seruat tempus in omne caput.
Aures, atque oculos alius conclusit, vt omne
Obseptum stimulus Mortis haberet iter.
Hac ipse infesta medicamina porrigo carni, &c.

Idem Carmine XVIII. aduersus carnem.

Durescant curuata solo mihi membra, famiq́;
Pro dapibus latis sit medicina cinis.
Sit saccus pro veste mihi, qui pectora pungat.
Atque ferat menti, quam caro lædit, opem.
Cura veni carnis domitrix, pœnæq́; perennes
Fac subeant animum concutiantq́; meum.
Sic medeor stolidæ carni, &c.

Idem in Carmine aduersus fictos Monachos.

Tendere per curas, & per ieiunia carnem
Vtile, perq́; cruces, excubiasq́; sacras.
Purior hinc etenim efficitur, qui crimine purus.

Sed obseruatione inprimis dignum arbitror, quod S. Gregorius Nazianzenus eodem loco Lutheranum & Caluinianum Prædicantem viuis coloribus expressisse, nobisque repræsentasse videtur, cum ita canit

Barba tibi sit longa, &c.
Quod si barbariem spires, omnesq́; lacessas;
Angelus es. Tantum barba pilusq́; potest.
Moribus impuris si quis nunc est, vel auarus,
Aut homicida, mali Dæmonis atque domus.
Non se per lacrymas, non per ieiunia purget:
Non per sudores. Ridiculum istud enim.
Sed vitas versans, atq; omnia verba reuoluens,
Dogmata falsa ferat, sic cadet improbitas.

Quibus versibus viuus spiransque Lutheri & asseclarum Iconismus continetur; qui & patrata abs se scelera non aliter expiare; nec

nec carnis petulantiam effrænatosque motus aliter coërcere volunt, quàm inani fide ac fiducia, simili propemodum illius, qui *habet fiduciam, quòd Iordanis influat in os eius*. Hinc irreconciliabile erga opera vel paululum duntaxat asperitatis habentia odium; cuius testem habemus ipsum Lutherum cum alibi frequentissimè, tum in cap. 2. Ioëlis Tom. 4. Lat. Witteberg. vbi ita fatur. *Deploranda meritò hîc est verè disciplinæ ruina. Quia enim necessitate coacti sumus Papæ cæremonias abiicere, multi in ea opinione sunt, cæremoniis nullum in Ecclesia relinquendum locum. Itaque si quis pio animo, cum aut in magnis ardoribus pluuia, aut in continuis imbribus serenitate ac solis calore opus est, conuentum extraordinarium institueret, aut præciperet ieiunium certorum dierum, aut hortaretur ad emendationem vitæ, & seriam orationē: quid hic contumeliarum nō audiret, vt nunc mores sunt? clamarent statim omnes, reuocari Papatum, & periclitari libertatem Christianam.* Quid si indiceret saccum, cilicia, cineres, disciplinas, flagella, nudipedalia?

Iob. 40.

Par testimonium erga pœnitentiæ rigidiores actiones reddit Lutherus suis sectatoribus in cap. 8. Ioan. Tom. 2. Nouorum operum pag. 280. a. *Quando de minis cœlestibus concionamur, tum dictant; quod illos velimus sub iugum mittere,* pochen vnd trotzen/ schlagens in Wind. *Nihili pendunt dicta nostra, etc. sed ludant & illudant nobis, quàdiu lubuerit; quærantq́;* was prediget vns diser Narr. *Quid cōcionatur nobis iste stultus?* (Prædicans) *Num facere oportet, quod ipse iubet? Æquè citò ac ipse, veniemus in cœlum; & nos viam nouim'.* Ja auff Sammeten Polstern/ vnd da d Weg ist mit Seiden gepflastert/ da wöllen sie sich hinauff waltzen/ ja hundert Jar zuuor in Himmel kommen/ dann jhr Pfarrherr. *Imò in holosericis puluinaribus,* inquit Lutherus, *perque eam viam, quæ sericis aulæis strata est, volutando sese, ad supera eniti; quin & centum annis prius, quàm parochus eorum, in cœlum intrare volunt,* securi scilicet vocis illius, quæ nonnullis cœlestes fores pulsantibus redditur: *Nescio vos.*

Ne verò Prædicantes parum lautè se à nobis accipi quiritentur, haud pigritabor eis apponere plura eorum exempla, qui pœnis iam commemoratis in sua corpora animaduerterūt; vt vel tandem à tot exemplis exemplum sumant; quod pronius est optare, quam sperare.

Claudius Martyr, licet recens à baptismo, ad maiorem anteactæ vitæ detestationem addidit dorso cilicium. vt habent Acta S. Susannæ Martyris apud Baronium Tom. 2. Anno CC.XLIV.

Hugonem Burgundiæ Ducē, *mortua Iolanda vxore sua, tantum huius mundi tædium cepit, vt seipsum cilicio obnubens Cluniacensium instituto hoc anno*, nempe M.XC.VII. *mancipartt*, vt in Burgundiæ Chronico scribit Vignierius.

Centuriatores cap.6. Centuriæ XII. de Wilhelmo Aquitaniæ Duce. *Lorica ferrea super carne nuda indutus, crebris orationibus, vigiliis, ieiuniis, aliisq; superstitionibus corpus affligebat.* vbi vides non tantum vigilias, ieiunia, & loricas ferreas, sed ipsas etiam orationes ab istis in superstitionibus numerari, conuenienter nimirum Lutherano genio, cui quis sensus sit exposuit nobis Lutherus *in Postilla Ecclesiastica*, Domin. 1. Aduentus. Es thut ein Müllermagt / so sie glaubt / mehr Guts / erlanget auch mehr wolt mich auch mehr drauff lassen / wann sie nur den Sack vom Esel nimpt / dann alle Pfaffen vnd Mönche / wann sie sich Tag vnd Nacht zu todt sungen / vnnd auffs Blut marterten. *Molitoria ancilla, si credat*, (more scilicet Lutherano) *plus boni facit, & plus insuper impetrat, & plus etiam eius facto fiderem; si tantummodo saccum de asini dorso deponat, quàm omnes Sacerdotes & Monachi etiam si dies & noctes ad mortem vsque canant, & ad sanguinem vsque sese discrucient.* Si Lutherani re tam leui & facili tam multum mereri & obtinere queunt, nemo mirari debet, si duriora opera aspernentur ac refugiant; potiusque sacco frumentario Asinum leuent, quàm se & sua membra sacco cilicino, aut ferrea catena grauent.

De Christophoro Ordinis Minorum Fratre S. Antoninus p.3.tit.24.cap.7.§ 13. *Macerabat corpus ieiuniis multis, cilicium durissimum, & multo tempore loricam ferream gestans ad carnem, & afflicti ua quædam ferrea instrumenta.*

Anastasius Bibliothecarius de Hadriano I. Pontifice cum adhuc adolescens esset. *In Ecclesia S. Marci crebras Deo nostro referebat diu noctuque laudes, indutusque cilicio, ieiuniis corpus suum macerabat, &c.*

Etiam ad hominum misericordiam impetrandam cilicia aliquando adhibita constat. Chronicum Affligemense editum à Miræo ad annum M.C.LXII. narrat Mediolanenses, gratiam & veniam à Friderico Barbarossa impetrare studentes, venisse ad eundem, *gladios manibus tenentes, funibus colla innexos, in ciliciis, cinere capitibus aspersis, & ad pedes Imperatoris in modum Crucis sese prostrauisse.*

Lace-

Lacedæmoniis fuit olim festum, cui nomen *Gymnopodia*, hoc est, *Nudipedalia*. Ad hoc celebrandum Prędicantes vix accessissent, nisi viam, qua transeundum erat, rosis vel aulæis stratam vidissent. Nec Christianis insueta *Nudipedalia*, vt vidimus in Athletica & alibi; sed alio longè fine, quam Laconibus, vt iam sæpissimè aliis in libris aduersus Logodulorum vociferationes ac criminationes ostensum est: & inprimis eo fine, vt diuinum numen sibi concilient, veraque pœnitentiæ & humilatatis documenta edant. Quod etiam elucescit ex duobus, quæ subiungo, exemplis.

In Concilio Remensi anno M. C. XIX. cum Callistus Pontifex, concordiæ sanciendæ caussa; ad Henricum V. Imp. proficisceretur, mandauit idem Pontifex, vt Patres Synodi *interea, & maximè die colloquij psalmos, orationes, & sacrificia spiritualia Deo offerrent, & à maiore Remensi Ecclesia vsque ad Ecclesiam B. Remigij cum processione nudis pedibus exirent*: vt scribit Hesso Scholasticus in commentariolo de Tractatione pacis inter Callistum II. Pontif. & Henricum V. Imperatorem.

Excommunicati nudis pedibus absolutionem petebant. Id liquet ex consultatione de modo Henricum V. Imp. ab anathematis vinculo exsoluendi. Nam vt scribit Hesso Scholasticus, in commentariolo iam citato. *Proceres Imperatoris de modo absolutionis & susceptionis cum nostris* (Pontificis Legatis) *cœperunt conferre, durum sibi, imò importabile videri, si, more aliorum, Dominus suus, nudis pedibus ad absolutionem accederet. Quibus condescendentes nostri responderunt, quòd modis omnibus laborarent, vt Dominus Papa calceatum eum, quanto priuatius posset recip eret.*

De Wazone Episcopo Leodiensi Anselmus in libro de Gestis Pontificum Tungrensium & Traiectensium cap. 108. *Certis in hebdomada feriis, & maximè ieiuniorum diebus, nulla seu frigoris, seu pluuiarum præpeditus molestia, ex consuetudine Sanctorum patrocinia nudipes circuibat: pauperum, quos in via contigisset occurrere, multis eleemosynis releuans inopiam.*

Inter alia, ad quæ S. Gregorius Nazianzenus sanitate vtendum docet; ista itidem commemorat. *Ad optima quaq; sanitate vtetur, admonebit, increpabit, verborum libertatem adhibebit, insomnes noctes ducet, in nuda humo dormiet, corporis molem extenuabit, terrena & cœlestia speculabitur, summo studio mortem meditabitur.*

Naz. orat. in Maximum.

Verùm hæc & id genus alia, frustra occinuntur Luthero, &

Luthericolis: quia illi iam certi sunt, saltem imaginaria certitudine, talia Deo non placere; & Lutherus, cum adhuc in Monasterio degeret, ambigebat, num afflictationibus suæ carnis, rem Deo gratã faceret, ipsomet id testante in Psal. 50. *Hoc quoq; propria experiẽtia didici, quòd post vigilas, studia, ieiunia, orationes, & alia durissima exercitia, quibus Monachus ego ad mortem vsq; me affligebam, tamen illa dubitatio relinquebatur in animo, vt cogitarem: Quis scit, an Deo hæc grata sint?* Sed quod Lutherus de austeritate sua in cœnobio garrit, id securè logis fabellisque plusquam anilibus deputes, & deputandum esse, liquidò probaui lib. 2. Athleticę cap. 3. Et quid nobis cum dubitatione Lutheri, seu vera seu falsa denarrat? Nam vigilias, studia, ieiunia, orationes, & alia durissima exercitia, Deo grata esse, non dubitarunt illi, quos ipsemet Lutherus aliquando sanctos appellat; vt S. Antonius, S. Hilarion, S. Franciscus, & ante alios, S. Hieronymus, quem cum sæpius *sancti* encomio cohonestet, interdum tamen, furore correptus & abreptus, vix hominis nomine dignatur: in quem Tom. 2. Latinorum colloq. Titulo *de Patribus*, hoc suillum sputum egessit. *Hieronymus nihil boni scripsit, neq; censeo eum numerandum inter doctores Ecclesiæ: quia fuit hæreticus. Nihil de Christo tractat, nisi quod nomine vtitur. Nullum inter scriptores ita odi, vt ipsum: tantum de ieiuniis, cibis, & virginitate scripsit* (argumentis nimirum Luthero molestissimis) *si tamen vrgeret opera fidei, aliquid esset, sed neque de fide, spe, charitate, neque operibus fidei loquitur.* Quod meritò inter crassissima Lutheri conuicia & mendacia collocatur.

S. Chrysostomus, vel, vt alij volunt, Seuerianus Gabalorum Episcopus, cum oratione secunda ex illis, quas Cardinalis Sirletus Græcè edidit, impia quædam dicta Pneumatomachorum recensuisset, subiunxit: *Dominus ob ea, quæ à nobis dicuntur, dignetur veniam dare. Quamuis enim nuda tantum verba aduersariorum repetamus, nemo tamen existimet velim, contumelias illorum in Spiritum sanctum repeti. Equidẽ in medium eas, & quidem nominatim adferimus, non quod iisdem assentiamur, sed errorem ipsum infamamus; veræ sanæque doctrinæ alumnos à prauis illorum placitis arcemus ac repellimus. Etenim illi ipsi Apostoli qui Dominum charum habebant, & quidem conspecta illius maiestate nihil dubitauerunt sacris Euangeliis inserere contumelias, quas Domino Iudæi imponebant. Itaque litteris prodita sunt, quæcunque illi de Christo ausi fuerunt dicere, & quod peccator esset, & quod Dei filius non esset.*

*esset. Quin & palam in os ipsi nihil veriti sunt dicere:*Samaritanus es, & Dæmonium habes.*Atqui non illi libri Euangelici ab iisdem perscripti, Christum accusant, sed impiæ illæ voces eorum, qui blaspheme in ipsum inuecti fuerant.*

Hac eadem Apologia video mihi vtendum esse, quoties vel maledicta Lutheri in cœlites, vel spurca, obscœna & lasciua eius seu verba, seu dogmata libris meis inspergo. Optandum quidem esset, omnia hæc cum suo Auctore, profundo in Tartaro sepulta esse; sed quia res secus habet, cogimur talia ignorantibus proponere, vt eorum fœditate inducti, Lutherum non pro Propheta, & tertio Helia, sed pro spurcidico impostore, & maledico calumniatore habeant.

CAPVT X.

Amor Lutheri Pseudogymnastæ erga disciplinas, aliásque corporis macerationes.

PRæcipit Lutherus in cap. 44. Geneseos scriptitans, vt omnes inspiciant veterum Patriarcharum exempla, & oculos quàm longissimè auertant ab illis Sanctis, quorum viuendi ratio ob ieiunia, flagella, & id genus alias asperitates durior & iniucundior fuit. Quærit ergo Lutherus; *Quare non proponit* (Deus) *portenta Monasticorum ieiuniorum, & duriciæ Stoicæ, & Spartanæ, hominum ferreorum, quales volunt videri Carthusiani?* Respondet Luthero Lutherus, *quasi verò magna doctrina possit esse in ludicris & nihili rebus.* Respondeo. *Ludicræ* ac *nihili* leues sunt, effectuque faciles. Si igitur ieiunia, flagella, & alię corporis macerationes, sunt res *ludicræ*; videamus, an vllus Prædicantium, quotquot sol aspicit, & terra sustinet; ieiunia, verberationes, & id genus alias afflictationes sustinere possit, quas alacri animo subierunt S. Dominicus, S. Franciscus, S. Dominicus Loricatus, Suso, & alij innumeri. Fiant in hoc ludo *ludiones*, & si has exercitationes fortiter ferre quiuerint, tum Lutherum à mendacio absoluemus. Quod dum Prædicantes, saltem aliqui ex eorum numero non præstant, necesse erit, Lutherum in mendacij sui cœno, porci instar, hærere ac volutari.

Cur

Cur autem Stoica & Spartana durities Luthero Epicureo, adeo procliuis, prompta & facilis visa fuerit, equidem me cum exputare non possum; nec post accuratam disquisitionem, caussam aliam inuenio, quàm quòd quæ effœminatæ suæ mollitiei inimitabilia videbat; ea eleuare, & quasi præ ſtitu leuia proclamare consueuerit, aliud verbis præferens, aliud mente occultans, quod Luthero perenne erat.

De Lacedæmoniorum asperitate elegans locus legitur apud Senecam lib. *de diuina prouidentia*, quem placet adscribere. *Nunquid tu inuisos esse Lacedamoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publicè verberibus admotis? Ipsi illos patres adhortantur, vt ictus flagellorum fortiter perferant, & laceros ac semianimes rogant, vulnera præbere vulneribus.* Num hæc leuia, ludicra, & cuiuis perpessu obuia?

Verùm iam inspiciamus, quę Lutherus spicula aduersus res tam leues ac faciles, hoc est, contra *Disciplinas* depromat, cui, vt videtur, nihil difficile accidit, præter ducere *Borrham*, seu *Pornam*; in eiusdemque flagitioso contubernio spurios procreare & educare.

In caput 44. Geneseos ita fatuatur, (nefas enim fuerit dicere, *argumentatur*) Lutherus. *Ioseph non fodit corpus suum, Baalitarum more, sed plagas illas æquo animo sustinuit, quæ diuinitus infligebantur;* ergo Disciplinæ seu corporis verberationes procul à Christianis ablegandæ sunt.

Respondeo I. Iosephum nec ad Lutheranam, nec ad Caluinianam cœnam vnquam accessisse; num igitur Lutherus, aut Lutheristæ inde colligent, nullum iam ad cœnam sese recipere debere? Helias, Ioannes Baptista, alij non duxerunt vxores; ergo Lutherani iam non debent ducere vxores.

II. Vnde constat Luthero Iosephum non fecisse disciplinam? Demonstret hoc ex Scriptura. Vbi hoc proditum sacris literis?

III. Disciplinas facere non est, Baalitarum more, corpus fodicare; vt sæpius ostensum in libellis de disciplinis. Nam Sancti, quorum plurima exempla produximus; disciplinas fecerunt, nec tamen sancta sua corpora, more impiorum Baalitarum fodicarunt. Contrarium enim nemo affirmabit, nisi *Baal Peoris* sacrificus & mysta, hoc est, Interprete Luthero, *Priapista*; qualis omnis verbi Lutherani Tubicen & Therapon, de quo Logoduli suum Lutherum in cap. 24. Geneseos inspicere poterunt.

IV. Fer-

IV. Ferre flagella à Deo imposita & ferre illa, quæ quis sibi spõte imponit, optimè simul consistere, & in eadem sede pariter versari possunt. Pro testimonio do omnes illos cœlites, quibus flagellatio voluntaria in vsu fuit. Nam & hanc spontaneam, & alias à Deo cœlitus sibi missas, patientissimè tulerunt; imò voluntaria corporis castigatio est expeditissima via, ad omnia illa aduersa fortiter toleranda, quæ Deus aut ipse immittere, aut permittere consueuit.

V. Etiam si verum esset, Iosephum huius castigationis nullum exemplum nobis aut præbuisse, aut reliquisse, consequentia tamen clumbis esset; quia sufficit huius rei exempla nobis ab aliis Sanctis, præsertim nouæ legis, esse data, & ad imitationem proposita. Quàm multa quotidie faciunt Lutherani, quæ Iosephus non fecit; an ideo se perperam agere arbitrantur? Helias certè Luthero non dedit exemplum ducendi vxorem; & multo minus Ioannes Baptista, & tamen Lutherus sine horum exemplo vxorem duxit; sed putatitiam; quia non vxor, sed scortum erat. Sed pergit Lutherus.

Qui Disciplinis corpora atterunt, ij ærumnas & calamitates à Deo immissas impatiẽtissimè ferunt: nihil ergo Christiano cum disciplinis commune esse debet. Antecedens comprehenditur his verbis Lutheri in cap. 44. Geneseos. *Nihil est* (Monachis) *impatientius quãdo affliguntur à Deo: sed cum patiuntur, quæ elegerunt ipsi, flagella, ieiunia, & quascunque macerationes corporis, magnam deuotionem & humilitatem præ se ferunt. Sed ea demum vera humiliatio fuit, quando sancti Patres, Abraham, Isaac & Iacob grauissimis ærumnis sæpe obruti, tamen ingenti robore & fide immota summam patientiam præstiterunt,* das lassen die München. Illi videlicet, qui Luthero, Oecolampadio, Munstero Bucero, &c. similes sunt. De aliis enim Lutherum maledicè mentiri, testantur tot sanctitate eximij homines, quorum & in hac, & in sex antegressis lucubrationibus, exempla plurima commemorauimus, qui cum patientia flagellorum coniunxerunt summam patientiam omnium aduersitatum, quæ eis vel ad probationem, vel ad aliorum instructionem, vel ad maius in cœlo præmium adipiscendum, diuino nutu obtigerunt. Cuius patientiæ & æquanimitatis nec vola nec vestigium in sectariis apparet, si quando rebus parum secundis premuntur.

Tertium Lutheri argumentum an deliramentum? *Satis est, vt*

videas vocationem tuam. Si es præceptor, discipulus, magistratus, subditus, cura, vt diligenter operas tibi mandatas obeas, & varijs tempore & persona, qua Deus te ornauit. Quod si hoc feceris, plus satis erit, quod agas, & variæ difficultates & ærumnæ obiicientur; neque opus erit accersere cruciatus voluntarios. Sed nil nisi fumos video; nec aliud, præter inanium verborum crepitacula, audio: nam ea, quæ ex officio præstanda sunt, præstare quis diligenter ac fideliter potest, superatis omnibus, si quæ occursant, difficultatibus: simulque voluntariis quoque corporis afflictationibus sedulam operam impendere; vt exempla Sanctorum apertè comprobant: imò sæpe quis ab officij recta linea excideret, nisi in ea per voluntariam coërcitionem sese contineret.

Lutherus tamen in cap. 43. Geneseos statim sub exordium; animæquior videtur in corporis castigationes; non enim damnare vult, qui talia exercitamenta in sanctis Francisco & Bernardo admirantur. *Nam videmus*, inquit, *in historiis Patriarcharum ieiunia certorum dierum, abstinentiam ab œconomia*, (hoc est, ab vxore ducenda & familia congreganda) *à politia*, (hoc est, à gerenda seu administranda Republica) *& macerationem carnis, quæ in Francisco & Bernardo admirantur alij; neque nos sanè eos damnamus.* Luthero igitur libente, admirabimur in S. Francisco & S. Bernardo cum alias corporis macerationes, tum disciplinas seu verberationes, & vestes cilicinas. Si Lutherus horum admiratores non damnat, vtiq; nec ipsos sanctos Franciscum & Bernardum verberibus in suam carnem animaduertentes damnabit. Quoties schema tuum vertes, ô Vertumne, & modò hanc, modò illam figuram in tua versatili scena nobis exhibebis? Qui in caput 45. Geneseos hoc etiam contumeliosissimo conuicio S. Augustinum, S. Bernardum, multosque alios percutit. *Docent patientiam, sed nimis frigidè. Et si quæras, cur ieiunent, cur corpus macerent, cur flagellis cædantur, hanc adferunt caussam, vt mereamur exaltari super alios in regno cœlorum.* Quo nihil impudentius in tantos viros euomi potuit: nam finis quidem disciplinarum est, vt obstaculum, quo à Regni cœlestis ingressu retardari possemus, amoliamur; sed vt ideo quis aliis in cœlesti beatitudine antiponi velit; id nulli sano in mentem venit, nedum tantis illis viris, quos Lutherus nominat, qui cum omnia, quæ facta oportuit, fecerint; *seruos inutiles* ex animo sese reputant ac perhibent.

CAPVT

CAPVT XI.

Alia documenta affectus Lutheri erga disciplinas, & cæteras corporis castigationes.

INter hos, qui, vt Lutherus loquitur, per viam rosis constratam & peripetasmatis aureis decoratam ad cœlestem beatitudinem enitendum esse censuerunt, Lutherus signifer & primipilus iure habetur; cui animus ab omni asperitatis sensu ac cogitatione tam auersus erat; vt Christi quoq; supra Iridem sedentis, mundumque vniuersum iudicantis effigiem, tolerare nequiuerit, tanquam nimis truculentam, ob gladium, quem ex parte sinistra Christus Iudex ad sinistram manum stantibus ostentat. Hanc imaginem quam remotissimè ab eorum oculis remouendam existimauit, quos dolor conscientiæ ob malè commissa cruciaret; *præsens enim periculum esse, ne obiectu tam crudelis spectaculi, in desperationem præcipitentur; nam Christum à tam afflicto & perturbato animo non aspici, nisi vt iratum, immitemque Iudicem.* **Wie es auch bißher gemalet vnnd durch die schendlichen Papisten in alle Hertzen getriben ist/ allein auff dem Regenbogen sitzend/ mit einem Schwert in seinem Munde. Dann diß ist die rechte Teuffels Kunst vnd Schalckheit/ die er treibt wider das arme irrende Schäflein/ ꝛc.** *quemadmodum hactenus quoque depictus, & à nefariis Papistis pectoribus hominum impressus est; solus sedens in Iride, cum gladio ex ore eius egrediente. Hæc nimirum est ipsissima ars, versutia & nequitia Diaboli, quam aduersus vagam & errabundam ouiculam exercet,* Inquit Lutherus in *Postilla Ecclesiastica*, in explicatione Euangelij tertiæ Dominicæ, *post Trinitatis.*

Quomodo Lutherus flagella, & id genus alia duriora peccatorum expiandorũ medicamina aut probasset, aut sumenda suasisset, qui imaginem istam; ceu nimis atrocem, & desperationis effectricem, eliminari voluit? Mirum autẽ, Lutherum oculos solummodo coniecisse in gladium, non in palmam seu lilium, quod à dextra Christi parte emicat, & iustis à dextra consistentibus, velut gloriosę victorię argumentum, ostenditur: & tantum abest, vt hęc extremi iudicij repræsentatio quenquam in desperationis foueam

deiiciat, vt potius omnes excitet; quo, dum tempus est, in viam redeant; itaque vitæ suæ rationes instituant, vt in rigido illo examine ad dextram statui, iucundissimoque lilij seu palmæ aspectu exhilarari; non autem terrifico gladij intuitu perterrefieri mereantur: quod, visa hac pictura Bulgarorum Regi Bogori, licet adhuc Ethnico, contigit; cum enim, vt est apud Ioannem Curopalatam, Methodio Monacho, pingendi gnaro, mandasset, vt *quæcunque vellet, depingeret, dummodo, quæ pingerentur, terribilia essent, & spectatoribus terrorem ac metum incuterent: ille aliud nihil autem terribilius noscens secundo Christi aduentu, hunc ibi descripsit: cumque iam finita esset illa pictura, conspicatus princeps ex altera parte iustorum cœtum coronari, ex altera verò impios puniri, & à pectore percepta picturæ mente, statim propriam eierat religionem, imbutusque à sancto Episcopo diuinis mysteriis, intempesta nocte sacrum percepit baptisma.*

Cæterum, quod Regi huic accidit, idem aliis tam baptismate non tinctis, quàm tinctis, sed postmodum in varia flagitia delapsis ex salutari imaginis huius contemplatione sæpius euenit; nam ita quærit pius pastor aberrantem ouiculam, vt simul etiam ab illa quæri velit: ita conuertitur ad eandem; vt simul etiam velit ouiculam conuerti ad se, tanquam ad pastorem. Non enim tantummodo scriptum est: *Quod perierat, requiram*: Sed &: *Quærite Dominum, dum inueniri potest.* Nec solùm: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*: Thren. 5. sed &: *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum, & conuertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Zachar. 1. Item Ezech. 18. *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.*

At hoc est errabundæ & desperabundæ ouiculæ Moysen proponere; non Christum, inquit Lutherus, *nihil Moyses ad errantem ouiculam, sed solus Christus.* Si pœnitentiam peccatoribus annunciare & indicere, est Moysen ac Legem proponere; S. Petrus igitur Actor. 3. in concione sua auditoribus Moysen proposuit; quando errantibus hęc monita dedit: *pœnitemini igitur & conuertimini, vt deleantur peccata vestra, &c.* Idem factum ab aliis Apostolis; in quorum monumentis toties illud: *Pœnitentiam agite*, resonat: contra Lutheri interdictũ, qui hortatur omnes, *ne vllo modo ad errantem ouiculam vllum Mosen accedere sinant*, **wann ers gleich auffs beste machet.** Quid ergo faciendum? *Solus Christus erraticæ ouiculæ proponendus, Hic solus aspiciendus*; nil aliud agendum, quàm vt hunc tuum Redemptorem

rem ac Saluatorem esse credas. Procul esto mentio de pœnitentia, eiusque operibus; qualia ieiunium, Disciplina, flagellum, cilicium, oratio, & similia; procul hinc omnia ista; quia nihil aliud sunt, quàm *Lex & Moses*. Quid igitur ouiculæ vagabundæ, tanquam esca, & velut illecebra, ad reditum ab errore, obiiciendum? Nihil, nisi mulsi fidelia, nil nisi mel, sesamum, papauer, saccarum; nil nisi crustula blanda; qualia pædagogi dant pueris, elementa velint, vt discere prima: solus obtutus in Christum, tanquam in vnicum solatium defigendus: sola fide in illum tendendum & properandum; cæteris omnibus omissis; nec aspici debet, vt iratus, virgaque vel baculo percutiendæ ouiculæ ob euagationem, & à recto tramite exerrationem, instructus; absit hoc; quia Mosaicum est & Legale; verum vt placidissimus pater & pastor, planè exarmatus, sine vllo pedo, absque flagello & disciplina; ouiculam non punire, sed tantum amplecti consuetus. Quid dulcius? Quid mellitius?

Sed nimiam huius doctrinæ suauitatem animaduertens ipse eius Auctor, opportunè monet, das dise Lehr nicht diene für einen groben / harten Menschen / gleich wie es auch nicht nutzet das man einem groben Dröscher Zucker vnd köstliche Labsal gebe / die einem Krancken gehöret / sonder ein gut Stuck hart Brot vnd Kese / vnd einen trunck Wasser / soll man geben: aber andere weiche vnd niedliche Speise spare für die Krancken oder junge Kinder / die nichts harts verdawen können. Also must du auch hie zu sehen / etc. daß du Moses vnd Gesatz predigt behaltest / biß du harte / ruchlose Leuth findest / die sicher vñ ohn forcht lebẽ: die lasse nur grobe Dröscher Speise essen / das ist / den zornigen Mosen hören / der da herein donnert vnd blitzet vom Berg Sina // die Kinder Israel würget vnd vmbbringet in der Wüsten / den König Pharaonem im Roten Meer erseuffet / etc. Wo aber betrübte schwache Hertzen vnd Gewissen seind / vnd nu verlorne Schäflein worden / da schweig nur von Mose vnd allen Wercken Gottes / etc. dann jener Hauff muß nit das verlorne Schaf heissen / der da sicher vnd im Sausse lebt / sich nichts darumb bekümmert / ob Gott droben zörne oder lache / sonder ist ein wilder Bock / der sich weder hüten / noch halten lasse.

Cum igitur dubium non sit, reperiri apud Sectarios, duros *capitones, Rupicones, Petrones, Crassos, Porcios, Suillios, Hircos*, vno verbo, tales quales à Luthero describuntur; caussæ nihil habent dicere Prædicantes, quò minus agrestibus istis messoribus & trituratoribus,

ribus; *Mosen*, hoc est, ieiunia, flagellla, cilicia, & huius generis alia Bucolicis & Georgicis faucibus congrua fercula apponant, vt maximè pro se, & pro fœmineo sexu, cui nil nisi placentę placent, tanquam pro ouiculis, aliquando lineam recti & honesti transcendere solitis, ex saccaro confectos libunculos, reliquasque cupedias seruent, procul omnibus ieiuniis, ciliciis, flagellisque abscedere iussis.

Itaque si *Prædicans* aut *Prædicantissa* à grege aliqnando deuiet; commisso, exempli gratia, adulterio; & postmodum ob id angatur, non tam virtutis amore, quàm formidine pœnæ; ne mussandum quidem erit de Moyse, hoc est, de pœnitentia, eiusque operibus, quia dura sunt & aspera; sed solus Christus in cruce pendens, animo ac cogitatione apprehendendus erit; non vt Iudex iratus, aut supplicium à delinquente reposcere consuetus, sed vt ille, qui ouiculæ peccata (& in his quoque iam iam à *Prædicante* vel *Prædicantissa* patratum adulterium) sanguine suo expiauit, & omne debitum persoluit, ita vt nil restet, quàm vt hoc pastoris sui beneficium ouicula agnoscat.

Ich hab aber vorgesagt / inquit Lutherus, das dise Predig vil zu gut / süß / vnd tröstlich ist / für den groben rohen Hauffen / vnd tollen knorzigen Pöuel / etc. disen soll man zu Mose / vnd Meister Hansen mit seinen Knechten weisen / vnd zum Teuffel hinach. Vbi obserua, *Mosen* & *Carnificem* eodem loco à Luthero haberi. Deinde diligenter mentem aduerte ad Lutheri mansuetudinem, qui peccatores non è vestigio prædicantium hortatibus adquiescentes; ad *carnificem*, & à *carnifice* ad *Diabolum* ablegat; neque ferre vult vt animis vel oculis vsurpent imaginem Christi deperditam ouiculam quærentis, inuentamque propriis humeris ad reliquum gregem reportantis; vel, vt concionem de hac pastoris sui benignitate audiant; cum tamen vel ferrea pectora huius tam mirificæ clementię per picturam vel concionem repræsentatione, emolliri, & ad dignos pœnitentiæ fructus edendos, excitari queant. Vtrum autem Euangelio, & Euangelico Doctori conuenientius est, mittere tales ad carnificem & ad Orcum, vt facit Lutherus; an ad pœnitentiæ actiones, cuiusmodi sunt ieiunia, flagella, cilicia, & similes asperitates, quibus malè & flagitiosè facta eluuntur, frenumque carni imponitur, ne de cætero extra rationis & honestatis orbitam feratur?

Porro

Porro cum Lutherus vſq; adeo Chriſti vniuerſum mundum iudicantis effigiem oderit, & conuiciis, vt vidimus, proſciderit, mirari ſubit, quomodo Lutherani hanc imaginem efformare, & intuentium oculis obiicere audeant, etiam in Kalendariis, quæ in charta expāſa excudi, & parietibus affigi ſolent, vt monſtrent tum feſta, tum alia: nam in his, nominatim in quibuſdam *Heniſchianis*, ſupremo in vertice, Chriſtus totum mundum iudicans cum flammiuoma romphæa à ſiniſtris, & cum lilio à dextris depingitur, & inſpicientium oculis toto anno obuerſatur. Conformius Lutheri animo agerent, ſi Chriſtum Iridi quidem inſidentem, at ſine ignita framea, & candido lilio repręſentarent, prout factum à Luthero vel certè à Lutheri aſſeclis tam in *Eccleſiaſtica*, quàm in *Domeſtica Poſtilla*, Dominica ſecunda Aduentus, & Dominica 26. *poſt Trinit.* Eſt autem hæc imago, quam adeo execratur Lutherus, deſumpta ſaltem aliqua ex parte, ex Ezechiele Propheta cap. 1. vt rcẽte notauit Molanus lib. 4. de Imag. cap. 24.

Non diſſimili furore bacchatur Lutherus in non diſſimilem imaginem Tom. 2. Nouorum operum in cap. 6. Ioannis p. 166. a. vbi ita inſanit, nam religio fuerit dicere: *Scribit*.

In Papatu longè aliter nos, qui baptizati eramus, de Chriſto edocti ſumus, ad quem per leges & bona opera trahebamur, repræſentato nobis Chriſto, tanquam aliquo truculento Tyranno, & rigidiſſimo iudice, qui multa à nobis repoſcat, & ad ſolutionem debitorum pro peccatis bona opera nobis imperet, prout etiam fœdiſſima & blaſphema de nouiſſimo die imago demonſtrat, vbi viſitur Chriſtus coram patre in genua procidens, & vulnera ſua oſtendens, ſanctusque Ioannes & Deipara Chriſtum pro nobis in vltimo illo iudicio deprecantes, vbi & Deipara filio vbera, quæ ſuxit, monſtrat. Quæ pictura ex S. Bernardo deſumpta eſt; à quo tamen nec rectè excogitata, aut facta, aut efformata eſt, taleſque imagines exterminare oportet, per quas teneræ conſcientiæ perterreſiunt, & refugiunt à Saluatore, quaſi nos abs ſe repellere, & propter malè commiſſa punire velit. Hæc mellitus Lutherus. Quem miror dicere, Chriſtum fidelibus, inſtar tyranni fuiſſe obiectum, ſi illis forma & habitu ſupplicis, & vulnera ſua cœleſti patri oſtentantis in ſupradicta imagine exhibitus eſt. An hic habitus & geſtus eſt Tyranni, & quidem efferati Tyrāni, qualem illa in effigie efformatum eſſe Lutherus mentitur? Nam quod ſanctiſſima Deipara & B. Ioannes pinguntur tanquam Chriſto ſupplicantes, ne mundum puniat, etiam oſtenſis

mater-

maternis vberibus, quid hic oro, tyrannidis? An nemini supplicatur, nisi Tyranno? An non, quibus pietas cordi est, quotidie Deo, nixi etiam genibus, vota precesque offerunt, & vt imbecillitati humanæ clementer parcat, deprecantur? An ideo Deum pro tyranno habent?

Nam quòd Lutherus Redemptorem nostrum non vult repræsentari tanquam iudicem malè commissa punire solitum, necesse erit, vt cum alia tum caput 25. Matthæi ex Bibliis eradat, vbi Christus non tantum vt bonorum retributor, sed etiam vt malorum punitor, & quidem seuerissimus vniuersis, ad contemplādum proponitur. Neque vllus pictor penicillo suo oculis iudicium illud tam fideliter & efficaciter subiiciet, quàm id stylo suo præstitit S. Matthæus.

Cur autem Lutherus & hanc & similes Iconas, diuinæ seueritatis indicia, tantopere oderit, caussa vnica est, prout iam sæpius dictum; quia animus eius voluptatum illecebris immersus, omne illud auersabatur, quod doloris aut tristitiæ sensum ingenerare, aut ad vitæ asperitatem suscipiendam excitare & inducere poterat. Quapropter omnem corporis afflictationem, præsertim eam, quæ fit per flagella & ieiunia toto pectore execrabatur, memor illius Poëtici moniti.

Lætus in præsens animus, quod vltra est
Oderit curare, & amara læto temperet risu.
Dona præsentis cape lætus horæ & linque seuera.
Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu iacentes, sic temerè, & rosa
Canos odorati capillos
Dum licet; Assyriaq́ nardo
Potamus vncti? dissipat Euhyus curas edaces.

Exclusit olim Deus à sacrificiis mel. *Mel in Dei sacrificiis non offertur, apud Deum enim nihil voluptuosum, nihil tantum suaue placet, nisi quod in se habet mordacis aliquid veritatis*, vt inquit S. Hieronymus epist. 19. ad Eustochium, Prædicantes tamen, nil nisi mella fauosq; Deo immolare volunt; ablegatis à sua ara, quidquid vel paululum acrimoniæ vel amaritiei continet.

Porro de hac imagine, quæ Luthero tantum tremorem ac horrorem incutiebat, videndus est Molanus lib. 4. de Imaginibus

cap.

cap. 24. cuius schemate Inventores hoc significare voluerunt, tantum fore iudicij illius rigorem; vt quamuis sanctissima Virgo, & quo maior non exstitit inter natos mulierum, Ioannes Baptista misericordiam alicui impetrare vellent, id frustra futurum esset, elapso iam misericordiæ tempore, solaque iustitia tunc regnante, & omnia obtinente. Et forsan Autor huius iconismi respexit ad id, quod de Noë, Daniele, & Iobo Ezech. cap. 14. Deus pronunciauit. *Quod si & bestias pessimas induxero super terram, & vastem eam, etc. Tres viri isti si fuerint in ea, viuo ego dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur.*

CAPVT XII.

Amor sectariorum erga disciplinas, cilicia, ieiunia, aliáque salutifera pœnitentiæ opera.

AMor iste ex multis elucescit. I. Ex libris concionibus, dictis & factis Logodulorum contra voluntarias verberationes, aliasque corporis afflictationes; ex quibus meritò primas sibi deposcunt chartæ illæ, quas duo Prædicantes Neoburgicus & Lauinganus, socer & gener, aliquot iam annis in vulgus extruserunt. Quæ nihil aliud spirant, quàm merum amorem in flagella, cilicia, & similia asperioris & Ascetica vitæ exercitamenta.

Secundò, idem amor perspicuus euadit, ex conuiciis, maledictis, ludibriis, irrisionibus, sannis, quibus Clamatores isti, sine vllo modo, sanctos homines, iam cœli indigenas, olim in Disciplinarum & spiritualis athleticæ palæstra cum laude versatos, incessunt & traducunt; vt taceam spiritum illũ, quo afflati, omnia Scripturæ sacræ testimonia, & Ecclesiasticæ antiquitatis monumenta; labores & sudores gymnasticos nobis vel commendantia, vel ad imitationem proponentia, peruertunt, inuertunt: vulpinè eludunt, & mimicè illudunt. Vel vnicam pagillam Stentoris Lauingani inspice, & statim agnosces, quis alastor istos circumagat.

Tertiò eundem amorem vniuerso mundo planum testatumque facit insigne studium castitatis, quod apud Sectarios viget; ca-

ſtitas enim præcipuè conſeruatur (poſt gratiæ diuinæ adminiculum) rigidiore viuendi ratione, qualis eſt illa, quæ in Diſciplinis, ciliciis, ieiuniis, & id genus aliis corporis caſtigationibus conſiſtit. Hanc rationem ſtudioſè à Nouatoribus teneri, probat ipſe effectus, hoc eſt, frequentia & multitudo eorum, qui caſtimoniam vitæque integritatem inter Sectarios ſanctè colunt. Cuius frequentiæ teſtem habemus Lutherum, qui in epiſtola ad Wolffgangum Reiſenbuſchium, & alibi ſæpius ſcribere non erubuit, *tam eſſe impoßibile caſtitatem ſeruare, quàm ab omni cibo, potu & ſomno abſtinere.* Arbitror autem valde paucos, hoc eſt, nullos, hactenus de Lutheri grege exſtitiſſe, qui omnium eſculentorum & poculentorũ expertes, vitã tranſegerint, aut etiamnũ tranſigant. Deinde Lutherus in Concione de *tribus Magis* ſeu *Regibus* expreſſè ait; feliciter actũ iri, cũ qualibet ciuitate, ſi in ea quinq; ex maribus, & quinq; ex fœmellis, anno ætatis vigeſimo, ab omni labe puri & integri reperiantur, ſaluo innocẽtiæ flore & honore. Quod ſi Logoduli iſtud de ciuitatibus Luthero & Caluino addictis, interpretari volũt, per me licet, non impedio. De quo plura inuenies in prima parte Virgidemiæ.

Æquè honorificum teſtimonium dat Lutherus ſuis aſſeclis in caput 6. Geneſeos p. 8. 1. a. *Inter mille noſtro ſæculo vix vnum reperias, qui in trigeſimum annum à mulierum conſuetudine abſtineat.* Inſigne teſtimonium Lutheranæ caſtitatis, & eius etiam, qua ipſe Lutherus præditus fuit; nam cum triceuario longè maior Catharinam *Borrham* ſeu *Pornam* duxerit, difficile erit nobis perſuadere, ipſum ex illis millenis vnum eſſe, qui abſque fœminæ commercio trigeſimum annum non modò attigerit, ſed & tranſcenderit.

Valdè miratur Lutherus; Noë vſque ad quingenteſimum annum à coniugio abſtinere potuiſſe. *Non videtur*, inquit, *in hominem poſſe cadere, vt quingentos annos ſine vxore viuat.* Certè Lutherus quingentas potius vxores duxiſſet, quàm quingentis annis cũ Noë ab vxore ſe cõtinuiſſet. Vnde hæc hircina ſalacitas, niſi inde, quòd iſtis nulla eſt carnis domãdæ cura, nulla fræni adducẽdi ſollicitudo?

Lutherus Præfatione in librum *de moribus Turcarum*, Turcas tantum non ſuper ſidera effert, cum ob alia, tum ob ieiunia, preces, & conuentus generales vulgi, *quæ apud noſtros non videntur vſpiam*, inquit Lutherus, *imò impoßibile eſt vulgus noſtrum ad ea*, hoc eſt, ad ieiunia & preces, *perſuaderi.* De vulgo ſuo, hoc eſt, Lutherano loquitur. Nemo refragetur. Nemo affirmanti fidem deneget, quia

quia credibile est, Lutherum, huius vulgi ducem ac prophetam, perfectissimè exploratum habuisse, quinam sint Lutherici vulgi mores, quæ disciplina, quæ preces, quæ ieiunia. Omnia nimirum admiranda. *Hæc*, ieiunia scilicet ac preces, *apud nostros non videntur vspiam.* Quis hoc affirmat? Lutherus. Quid amplius? *Imò impoßibile est vulgus nostrum ad ea persuaderi?* Ad quæ? Ad ieiunia, ad preces. Quanto minus persuadebuntur ad flagella, & cilicia?

Vulgus nostrum, hoc est, Lutheranum, *valde profanum est, ad Turcarum vulgus comparatum*, inquit Lutherus. Jterum assentior. Quis enim vulgi Lutherani sanctimoniam melius nouit, quàm eius ductor & seductor, pastor & impostor? *Atque hoc est*, (seueritas & asperitas vitę) *quòd multi tam facilè à Christi fide deficiunt ad Mahometum, & ei tam pertinaciter adhærent.* Admodum igitur Sectarios à lapsu in Turcismum tutos esse oportet, cum ab iis, quæ carni ingrata accidunt, tantopere abhorreant. Verumenimuero non seueritas legis Mahometanæ, sed laxitas, summa licentia, & voluptatum illecebræ, quas vbertim, & sine fræno concedit, sectam hanc tantis incrementis adauxerunt. *Ego planè credo*, inquit Lutherus, *nullum Papistam, Monachum, Clericum, aut eorum fidei socium, si inter Turcas triduo agerent, in sua fide mansurum; loquor de illis, qui seriò fidem Papæ colunt, & optimi inter eos sunt.* Atqui ego mihi constanter persuadeo, ex innumeris Lutheri pseudologiis, quas tota vita sua effutiuit, hanc non esse postremam, quia plurimi, rigidissimi & tenacissimi religionis orthodoxæ professores tam laici, quàm religiosi, inter Turcas iam olim habitarunt, & etiamnum habitant, etiam in ipsa Turcici Imperij Metropoli, quibus de fide Christiana deserenda, & Mahometana perfidia amplectenda, ne per somnium quidem vlla cogitatio vnquam obrepsit. Nec video vllum retinaculum, quo minus, si occasio daretur, Lutherani & Caluiniani sturnatim in sectam Mahometanam ruerent; nisi interdictum vini, & forsan cereuisiæ etiam. Hoc nonnihil retardari possent, alioqui non facilè vllam remorā inuenies. Sed facerent, quod pleriq; ex ipsis Turcis actitant. Palam à Bromio sibi temperarent clam eiusdem liquore ad ebrietatem vsque sese ingurgitarent.

Jllud denique Nouatorum erga corporis castigationes incredibilem ardorem ostendit, quòd Lutherus petitioni illi orationis Dominicæ. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* Adiicere ausus est aliam obsecrationem & postulationem. *Domine Deus da vxo-*

Luther. in c. 24. Gen. *rem; & panem quotidianum.* Vbi *vxorem* tanquam rem magis necessariam, quàm victum, *pani quotidiano* anteponit; vt monui lib. 2. cap. 5. spiritualis Athleticæ. Logodulus Lauinganus in suo laruato & stramentitio ad Athleticam *Responsorio*, ridiculè prorsus sub *panis quotidiani* nomine vxorem comprehendi nugatur. Quod si ita est; Christus ergo hanc precandi formam Apostolis præscribens, docuit eos vxorem petere. Panem nostrum quotidianum, id est, *vxorem nobis da.* Et tamen Apostoli, si qui præter Petrum, vxores habuerant; eas deseruerant. Quomodo igitur in Oratione Dominica petebant, vt sibi daretur vxor? Neque ex institutione & iussione Domini, qui Matthæi 19. omnibus illis, qui vxores relinquerent, centuplum in hoc sæculo, vitamque æternam promisit.

Adhæc cum Prædicantes quotidie (vt piè credimus) orationem Dominicam & in illa; *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, recitent ac repetant; sequitur Prædicantes toties, quoties orationem Dominicam recitant, nouam vxorem petere; & *Prædicantissas*, nouum maritum; quemadmodum petunt nouum panem & nouum potum; neque enim panem & potum illum, quem pridie consumpserunt, postulant, sed alium, ab hoc distinctum. Non ignoro Lutherum in *Catechismo maiore & minore*, Dulologo isti ad hanc stultitiam præiuisse: Verùm duorum vel plurium in vnum collata stoliditas, insipientiam non tollit, sed auget. Quid autem insipientius, quàm *panem quotidianum* viri; esse vxorem: & *panem quotidianum mulieris*, esse maritum? Pudeat Prædicantes *panis* huius sui *quotidiani*; & puderet, nisi hircos salacitate vincerent: Qui panis si quando veterascat, vel mucescat; tum sine dubio Prædicantes ardentiora vota concipiunt; vt quamprimum recentem acquirant, & ab esu mucidi panis liberentur.

Nec verum est, quod Lutherus somniat, sub *panis quotidiani* nomine comprehendi vxorem, quòd necessaria sit ad victum & amictum procurandum & instruendum; nam innumeri *panem quotidianum*, hoc est, alimenta vitæ traducēdæ necessaria, sine vxore adepti sunt, hodieque adipiscuntur, idque longè commodius, quàm si vxore & liberis onerati fuissent vel essent, multiq; ex Prædicantium grege magis abundarent *pane quotidiano*, si *pane suo quotidiano*, hoc est, vxoribus carere voluissent. Et ridiculum sanè est, cogitare, Christum, quando Apostolis orationem Dominicam præscripsit, iussisse; vt *procreatrices panis quotidiani*, hoc est, *vxores* pete-

peterent; nec non *pecuniam, diuitias, liberos, seruos*. Quæ omnia Lutherus sub *pane quotidiano* comprehendi dicit: cum hisce omnibus Apostoli sese lubentes volentesque abdicassent; missique, etiam sine sacculo & pera, huiusmodi procuratricibus victus quotidiani non indiguerint, vtpote, quibus etiam absque illis nihil defuerit; vt ipsimet, Christo rogante, confessi sunt. Monet Apostolus, vt habentes victum & amictum his contenti simus. Cuius moniti quis sensus ex commentario Prædicantium? Habentes *vxorem probam, probos liberos, probos seruos, aream, agros, pecudes, pecuniam, diuitias*: his contenti simus. Egregia verò Apostolici dicti explicatio, & digna illo Euangelio, quod non à cœlesti patre, sed à carne & sanguine reuelatum est.

Scitè admodum & graphicè ista abdominis mancipia depinxit Apostolus 2. Tim. 4. vbi inter proprietates, quibus Sectarij insigniuntur has enumerat. I. *Sanam doctrinam non sustinere*. II. *Ad sua desideria coaceruare sibi magistros;* hoc est, eos Doctores conducere, & quidem cumulatim, (hoc enim significat vox ἐπισωρεύσουσι qua vtitur Apostolus) qui grata dicant, dulcia prædicent, cupiditatibus auditorum seruiant; nil triste, nil asperum, nil durum, nil desideriorum illecebris aduersum proferant. III. *Pruritu aurium laborare*; nam qui prauis animi motionibus nimium indulget; ille desideriis suis consona audire gestit, qui gestitus, est quasi quædam in auribus prurigo, etiam atque etiam expetens & quæritans aliquem, qui prurientes auriculas scalpat. Scalpit autem Magister, si dicat, quæ variis desideriis æstuans, audire concupiscit. IV. *A veritate auditum auertere*. V. *Ad fabulas conuertere*. *Vbi enim per impietatis studium extra sacræ doctrinæ patientiam erunt*, inquit S. Hilarius, *tunc his, quæ desiderant, coaceruabunt magistros, apta scilicet cupiditatibus suis doctrinarum instituta cumulantes; neque doceri se desiderantes, sed doctores ad id, quod desiderant, congregantes; vt cumulus ipse conquisitorum, & coaceruatorum magistrorum, æstuantium desideriorum satisfaciat doctrinis*; & cum Doctores æquè pruriant auribus ac auditores, fit, vt diligenter dent operam, ne aliquid, quod etiam propriis auribus iniucundum accidat, eloquantur; quia & suas & alienas aures dulcis ac mellitæ doctrinæ lenocinio demulceri volunt. *Incidimus planè*, inquit S. Hilarius, *in hoc prophetiæ Apostolicæ molestissimum tempus*. Quando enim sanam doctrinam minus sustinuerũt miseri mortales, quàm hoc æuo nostro, præsertim illam,

S. Hil. li. 10. de Trinit.

quæ est de mortificandis membris, *quæ sunt super terram*, deque crucifigendo vetere homine cum *vitiis & concupiscentiis suis?* Quando plures exstiterunt κνηθόμενοι τὴν ἀκοὴν, *aurium prurigine laborantes*, qui Magistros aurium prurigini, hoc est, carnalibus appetitionibus suis consentanea dicturos & docturos, sibi accumularent; qui exclusis omnibus pœnitentiæ actionibus, omnibus ieiuniis, humicubationibus, ciliciis, disciplinis, & id genus aliis corporis afflictationibus, de sola in Christum fide blandissimè concionarentur; & satisfactione meritisque eiusdem Seruatoris nostri, auditorum animos dulcissimè solarentur, quasi Christus omnia iam loco nostro transegisset, nilque superesset, quàm vt nos salutem paratam fide apprehendamus, inq; cœlum bipatentibus portis ingrediamur, absque vlla compensatione nostra pro iniuriis Deo per malè commissa illatis?

Ita fit, *vt conquisitis* nunc vndique *creaturæ*, hoc est, carnis, *potius, quàm Dei prædicandi*, & pœnitentiæ agendæ *magistris, desideriis humanis potius, quàm sanæ fidei doctrinis studeatur. & eò vsque eos prurigo aurium ad ea, quæ desiderant, audienda, excitauit, vt coaceruatis doctoribus sola nunc hæc prædicatio* (inter Sectarios) *polleat, per quam* carni frena laxentur, & omnis fibula adimatur: omnisq; vitæ asperitas & austeritas repudietur, & sancti, qui eam complexi, subsannentur, & stoliditatis arguantur, quòd tam dura dulcibus præoptarint, maluerintq; per dumeta & senticeta, quàm per planam istam, facilem, amœnam & rosis constratam viam à Luthero nuper repertam & apertam ad beatitudinem tendere; magisque audierint illud: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*; quàm illud, Lutherano intellectui acceptum: *Crescite & multiplicamini; Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed eam nutrit & fouet. Vnusquisq; suam vxorem habeat, etc. Hoc alienatis ab auditu veritatis, & conuersis ad fabulas auribus placet*, inquit S. Hilarius; huius sanæ doctrinæ (de carne spiritui ciliciis & flagellis subigenda) *audientia non sustinetur, & omnis ipsa cum prædicatoribus suis exulat. Sed licet nunc à multis coaceruantibus sibi secundum desideria sua magistros, sana* (pœnitentiæ) *doctrina exulet, non tamen à sanctis* (& orthodoxis) *quibusque exulat. Loquemur enim per hos libros, & sermo Dei, qui vinciri non potest, liber excurret. Et quanquam secundum humanæ naturæ consuetudinem, nullus sermo non sit obnoxius contradictioni, eam tamen nos arbitror totius responsionis nostræ moderatos esse rationem, vt contradicere quisquam, nisi*

cum

eum impietatis professione, non posit. Eorum enim dictorum, quæ secundum falsiloquij sui artem ex Euangeliis hæretici præsumunt, ita demonstrata veritas est, vt iam in contradictione ignorantiam excusare non liceat, sed irreligiositatem necesse sit confiteri. Et hæc quidem hactenus.

Ad finem Athletices spiritualis adieci Appendicem, quomodo Hæretici scripturas tractent ac citent: quam quia Logodulo Lauingano gratam accidisse animaduerto, volui etiam huic opusculo, veteri meo more, similem Appendicem appendere, non sine bona spe, fore, vt hæc posterior in Prædicantis manus non minus accepta, ac prior illa veniat, præcipuè cum bona eius pars ex Luthero confecta sit.

APPEN-

APPENDIX.

QVOMODO HÆRETICI SCRIPTVRAS TRACTENT AC CITENT.

SÆPIVS iam, erudite Lector, hoc argumentum à me tractatum est, sæpiusque, si Deo videbitur, tractandum erit, non tam meis, quàm sanctorum Patrum & ipsorum etiam Hæreticorum verbis, cùm si vlla in re; certè in Scripturarum citationibus & allegationibus Sectarij maximè triumphent, & hac quasi in aula, mirificè sese iactent: simplicibusque & candidis animis miserandnm in modum illudant. Præclarè S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. IV. *Illuminatorum. Imitatur virtutem vitium, & Zizanium pro frumento conatur haberi, frumenti quidem speciem præ se ferens, sed discernendi peritorum gustu se prodens.*

Quando vitium magis imitatur virtutem, & zizania flammis vstulanda, bonum probumque frumentum, nisi cum Hæreticus, os suum aperiens, nil nisi Scripturas, merumque & purum putum Dei verbum funditare incœptat? Si qui tamen sunt, quibus vel paululum de gustu reliquum manet, (quorũ ex millenis vix vnus est) ij quid vera virtus à falsa virtutis imagine, quidque lolium & filices à genuinis spicis distent, facilè internoscunt. *Diabolus etiam transformatur in Angelum lucis, non vt eò reuertatur, vbi fuit, sed vt homines fallat.* Hoc nunquam magis contingit, quàm quando se, hæreticorum ministerio, luce sacrarum literarum quodammodo vestit, totusque verbi diuini fulgore nitidus, in theatrum, histrionem acturus, prodit; omni ex parte radios verbi Dei eiaculans; &, *Verbum Domini manet in æternum;* sonora voce intonans; cuius genium & ingenium S. Cyrillus his porrò coloribus depingere pergit: *Incudis instar, indomabili corde præditus, pœnitere nesciam in posterum,*

S. Cyrill. l. loc. cit.

rum habet animi voluntatem: vt etiam eis vndique, qui parem Angelis vitam degant, cæcitatis caliginem, & incredulitatis pestilentem contagionem importet. Multi obambulant lupi (imò luporum plena sunt omnia) *vestimentis ouium tecti.* (Quæ hæc vestimenta, nisi sacræ Scripturæ dicta & testimonia?) *qui ouium indumenta gerunt;* (quia Verbo Dei se fallaciter amiciunt) *non tamen vngues & dentes earum habent,* (quia habent vngues ac dentes lupinos) *sed cum mansuetam induti sint pellem,* (quæ enim pellis lenior & mollior, quàm quæ, vt ita loquar, ex pilis & villis sacrarum literarum contexitur?) *& figuræ prætextu simpliciores ac innocentes fallant, exitiale virus impietatis ex dentibus emittunt.*

Quid igitur facto opus? *Opus nobis est diuina gratia, sobria mente, perspicacibusque oculis, ne pro frumento zizaniam deuoremus, & per imprudentiam lædamur: néue rati ouem esse, qui lupus sit, capiamur, néue bonum Angelum, qui Diabolus est obscænus, suspicati, absorbeamur: circuit enim quasi leo rugiens, quærens quem deuoret.* Et circuit non in suo, sed in hæreticorum habitu, eoque Scripturarum dictis vndequaque picturato; nam, vt idem S. Cyrillus ait: *Hæretici, blandis ac bonis verbis, linguæque facundia simplicium corda decipiunt, nomine Christi, quasi melle illita, impiorum dogmatum venenata iacula contegentes.*

Sunt tamen, qui Nouatores suspiciant & admirentur, quòd non modò suis in delubris, sed & suis in labris Biblia indesinenter tractent ac circumferant: Incõsideratè prorsus & incircumspectè: nam vt demus, vera Biblia esse, quibus Hæretici suis in fanis & sermonibus perpetim vtuntur; (de hoc enim non iniuria quæri posset, & in partem negantem non modò bona, & probabilia; sed & euidentia argumenta adducere liceret: si hoc in præsenti ageretur) num ideo probi probatique erunt, quia Biblia in ore suo, figuliuæ instar rotæ, versant, & reuersant; rotant ac circumrotant? Num ideo templa, & musæa Hæreticorum sancta, quia in iis tractantur & custodiuntur Biblia?

Occurrit, quod libro primo contra Iudæos scriptum reliquit S. Ioannes Chrysostomus: cum enim nonnulli ex Christianis, Iudæos, eorumque synagogas, magni penderent ob sacræ Scripturæ volumina; quasi & locus & incolæ sanctitatem inde contraherent; S. Chrysostomus iusta indignatione commotus, cum aliis rationibus, tum hoc etiam exemplo insipientiam, stultamq; eorum per-

S. Chrysost. li. 4. contra Iudaeos.

suasionem confutauit. *Cum Ptolomaeus Philadelphus, libris vndiq; collectis cognouisset, apud Iudaeos etiam exstare scripta, quae de Deo atque optima Reipublicae forma agerent, accersitis è Iudaea viris, in Graecum sermonem illa ipsa conuertenda curauit, atque in Serapidis Templum reposuit, (erat enim homo gentilis) & in hunc vsque diem librorum propheticorum interpretatio ibi seruatur. Ergône Templum Serapidis propter libros sanctum erit? Absit. Sed sua illis est sanctitas, quam cum loco non communicant; propter eorum, qui illic congregantur, impuritatem. Idem de synagoga* (& Bibliothecis Nouatorum) *dicendum, licet enim nullum ibi sit* (aspectabile) *idolum, tamen Daemones locum incolunt. Quondam cum bellum teneret Iudaeos, victores Azotei ceperunt Arcam, inque suum Templum intulerunt. An ideo sanctum erat illorum Templum, quòd haberet Arcam? Nequaquam: sed profanum, sed impurum.* An idcirco sanctum os Haeretici, quia sine fine Biblia crepat? *Dic mihi* inquit S. Chrysostomus, *si venerabilem quendam, insignem, atque illustrem virum in cauponam duci, aut in speluncam latronum, postea contumeliis, verberibus, atque iniuriis extremis affici cerneres; admirandáne tibi caupona aut spelunca videretur, eò quod praeclarus ille magnusque intus steterit, & contumeliosè tractatus fuerit? Non arbitror equidem; sed hac ipsa de caussa illam potissimùm odisses auersatúsque esses. Idem iudicium de synagoga* (Haereticorum.) *Nam Prophetas & Moysen* (atque adeo vetus & nouum Testamentum, haeretici) *secum illuc* (in Templa & Gymnasia sua) *importarunt* (& quotidie important) *non vt honorarent, sed vt iniuriosè atque ignominiosè tractarent:* nempe, vt ex vtroque Testamento integros libros exscinderent, Tobiam, Iudith, Ecclesiasticum, Sapientiam, Macchabaeos, Baruch, Danielis & Hesteris non modicam portionem: item epistolas Apostolicas, Iacobi, Iudae, alterã S. Petri, duas S. Ioannis, S. Pauli ad Hebraeos, ita vt Apocalypsis vix sacrilegas eorum manus euaserit: vt taceam de peruersis versionibus & interpretationibus, quibus isti suam ad libidinem dicta sacrarum literarum detorquent; neque vnquam nisi prius ad sua phasmata & deliria inflexa producunt.

S. Chrysost. lib. 1. contra Iudaeos.

Nihil dico de petulantia, qua Lutherus, maximè in S. Iacobum grassatur cum alibi, tum in cap. 22. Geneseos Tom. X. Witteberg. Germanico; vbi S. Iacobum de Iustificatione Abrahae differentem non veretur stultissimè reprehendere: Jacobus schleust nit recht. *Iacobus non rectè concludit:* Jacobus schleust närrisch. *Iacobus stultè* *conclu-*

concludit. Darumb lasset die Widersacher mit jhrem Jacobo immer hinfaren. *Quapropter finite aduersarios cum suo Iacobo abire quò lubet*. Et hæc effutiuit Lutherus nõ cũ primo Euangelij sui musto ebrius hanc eandem S. Iacobi Epistolam vocauit *stramineam*, sed iam senior factus, & tumulo propius admotus, cum primęuus ille feruor & furor, tot annorum spatio, nonnihil frangi ac residere debuisset. Sed hæc obiter. Tu ad tortuosas & distortas sacræ Scripturæ explicationes, vel potius implicationes, oculos & animum aduerte.

Quilibet habens mentem consideret (ita mandat Lutherus libro contra Iudæos Tom. VII. Lat. Witteberg.) *quàm planè maliciosè, suis glossis pessimis deprauant libros prophetarum* (Euangelistarum & Apostolorum) *quomodo contra conscientiam illos dilacerant. Nam cum Prophetas* (Apostolos & Euangelistas) *iam amplius corporaliter lapidare, aut occidere non possint, tum spiritualiter in dilaniandis, discerpendis, excarnificandis libris, & pulcherrimis concionibus Prophetarum,* (Euangelistarum & Apostolorum) *sæuitiam suam ostendunt. Nec quidquam habeat humani cordis aut sensus, cui non vehementer doleat, quòd in hac parte, planè per iram Dei, toti à Diabolo possidendi traditi sunt. In summa, est gens sanguinaria; si non possunt amplius mactare viuos Prophetas, in mortuorum scriptis exercent malitiam & crudelitatē suam. Deinde quando ita Deum in suo verbo flagellarunt, crucifixerunt, consputarunt, blasphemarunt, execrati sunt, tunc plenioribus buccis Verbum Domini* incinunt, *voluntque esse populus & peculium Dei, damnare præ se totum mundum, postulantque, vt hic fastus insanus, hæc gloriatio, Deo placeat, vtque pro his cœptis & factis dei ipsis Messiam, quem sibi eligunt, in animis suis pingunt, fingunt*, præsertim Lutherani Vbiquistæ, quorum Messias, etiam secundum humanam naturam vbiq; præsens est; & omnia complet.

At quid multa? *Si ideo necesse est*, Hæreticos *haberi pro populo sancto, quia verba & legem Dei habent* (citant, recitant, legunt, allegant) *tunc & Diabolos in inferno digniores dicam, qui sint populus Dei, quàm* Sectarios; *nam Dæmones habent Verbum Dei, & longè melius sciunt, quàm* Nouatores *vnum esse Deum, qui ipsos creauit. Sed quid prodest Diabolis, quod legem Dei habent, & optimè sciunt? Nunquid & ipsi gloriabuntur, se esse singulares, electos Angelos, & charissimos Deo, præ quibus alij Angeli nihil sint? O quàm longè esset Diabolis melius, quod non scirent legem & mandata Dei. Sic & homicidæ, scorta, fures, latrones,*

omnes mali homines gloriari possent, se esse singularem populum sanctum Dei. Habere enim se & scire Verbum Dei, diligendum esse Deum, sanctificandum nomen eius, &c. An nunc & illi gloriabuntur, more (Nouatorum) *se esse populum Dei, se esse sanctificatos Verbo Dei, & electos in singularem populum præ omnibus populis? Planè eiuscemodi gloriatio est, quòd* Sectarij *gloriantur in suis synagogis, laudant Deum, & gratias agunt, quod sanctificarit ipsos per* Verbum, *quòd elegerit in populum, cum bene sciant, se nullum seruare mandatum Dei, se esse plenos superbia, inuidia, auaritia, & eos, maxime, qui volunt esse valdè religiosi & sancti in suis orationibus: quorũ tamen sanctitas & probitas est adeo occulta, vt & ipsi de ea nihil scire poßint. Quid ergo Deus sciret?* inquit Lutherus. *Sunt enim palam pleni auaritia, virulentia, inuidia, odio inter sese, fastu, ambitione, etc. Ipsi profectò suam sanctitatem valdè abscondunt, sub tot manifestis flagitiis & sceleribus. Et tamen nihilominus ex æquo omnes, nemine excepto, volunt esse semen Abrahæ,* hoc est, Euangelici, *& populus Dei, præ quo omnes gentes sint abominatio.*

Caue ergo Christiane, (admonitionem Lutheri audis, ô Christiane Lector) *à tam damnato,* (Prædicantium) *populo, apud quem nihil discere potes; quàm Deum & Verbum eius arguere mendacij, verbum eius deprauare, occidere & crucifigere viuos iuxta ac mortuos, omnesq; homines fastu Diabolico superbißimè contemnere,* quasi nemo in Scripturarum tractatione, & citationum frequentia præstare possit, quod ipsi; cum tamen in Scripturis aliter non versentur, quàm primarius eorum doctor & institutor, qui in fastigio Templi Hierosolymitani cum Christo dissertans, egregiam discipulis suis citandæ Scripturæ formam & normam præscripsit. *Adduxit* cacodæmon *Christum in culmen ac summitatem Templi,* inquit Origenes Homilia 31. in Euangelium S. Lucę, *& hortatur, vt se inde præcipitet: & considera, quomodo tentet Diabolus. Non aliunde tentare audet, nisi de diuinis libris, & de psalmis testimonium sumens ait:* Si filius Dei es, mitte te deorsum; scriptum est enim; Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. *Vnde tibi, Diabole, hoc scire, quod ista scripta sunt? Nũquid legisti Prophetas, vel diuina eloquia cognouisti? Licet tu taceas, ego pro te respondebo. Legisti, non vt ipse ex lectione sanctorum melior fieres, sed vt simplicitate eos, qui amici sunt literæ, interficias. Scis, quia si de aliis ei voluminibus loqui volueris, non decipies, neq; habere poterunt auctoritatem assertiones tuæ.* Sic legit Scripturas Marcion, (Lutherus) *vt Diabolus, sic Basilides*

(sic

(sic Zwinglius) *sic Valentinus* (sic Caluinus) *vt cum Diabolo dicerent Saluatori*: Scriptum est; quia Angelis suis mandauit de te, &c.

Si quando testimonium de Scriptura (à Lutheristis & Caluinistis prolatum) *audieris, vide ne statim loquenti acquiescas; sed considera illum, cuius sit, ac cuius sententiæ, cuius sit voluntatis, ne fortè simulet sanctum se esse, quomodo non est, & venenis infectus hæreseos sub ouis pelle lupus lateat, ne fortè loquatur in eo Diabolus de Scripturis*; vt certè per quemcunq; hæreticum loquitur, quoties ad hæresin stabiliendam sacrarum literarum dicta ingeminantur.

Vide autem quomodo & in ipsis testimoniis versipellis est (Diabolus) *vult enim imminuere gloriam Saluatoris, quasi Angelorum indigeat auxilio, offensurus pedem, nisi eorum manibus subleuetur. Assumit testimonium, & interpretatur illud de Christo, quod non de Christo, sed de sanctis generaliter scriptum est*; vt fusè ostendit Origenes. Nihil vsitatius & solennius sectariis, quàm vt scripturarum testimonia, à proprio sensu abstracta, & ad alienam peregrinamque sententiam detorta, proferant, ingerant, & regerant. Quid alienius à sensu horum verborum: *Hoc est corpus meum*: quam sensus, quem his Christi verbis affingunt Zwinglius & Caluinus? *Hoc*, nempe panis, *significat corpus meum*. vel, *Hoc est figura corporis mei*? Si quæras, quo fine hunc in modum sacratissima illa verba interpretentur; in promptu est responsio; id alia mente nō fieri, quam ea, qua Diabolus locum Psalmi citauit, scilicet vt gloriam & potētiam Redemptoris nostri imminuant, quasi tam potens non fuerit, vt nobis sub specie panis suum corpus, & sub specie vini suum sanguinem, verè, realiter, & substantialiter dare potuerit.

Sed & sic quoque peruersè afferens Diabolus testimonia, vt assereret super Saluatore intelligi, silet & transit versiculos, qui contra se scripti sunt: cum enim dixisset; Angelis suis mandauit de te, &c. *tacuit illud, quod sequitur*: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. *Quare Diabole, siles, nisi quia tu es basiliscus, tu es omnium serpentium regulus, nocentiora habens venena, quàm cæteri? Qui statim, vt videris aliquem, interficis, & aliam fortitudinem contrariam, sociam tui assumis, quæ aspis appellatur, & viro iusto subiecta est, & idcirco omnia taces.* Non ignari sunt huius technæ Nouatores nostri; nam Diabolo quodammodo impudētiores effecti, non tantum, diuina oracula, quæ contra se facere cernunt, profundo silentiō tegunt; sed etiam ex cœlestium Codicum Catalogo stirpi-

tus eradunt, & exterminant. Cur enim Tobiam, Iudith, Ecclesiasticum, Epistolam S. Iacobi, &c. ex Canone exturbarunt, nisi quia palam animaduerterunt, sua dogmata stare non posse, si prædictis aliisque id genus libris sua stet auctoritas, & auitus honor?

Vide dolum Satanæ, inquit Zwinglianus Musculus in caput 4. Matthæi. *Vbi vidit Christum contra se pugnare Scripturis, illisque plurimum dare, adfert & ipse Scripturas, quibus quod suadebat, persuadere conatur. Adfert autem eas non sincerè, sed versutè, vt illarum auctoritate Christum, tanquam in Scripturarum exercitio non adeo versatum ac tritum, fallat & seducat.* Eadem omnino Sectariis hodie est indoles erga Christi membra, quibus per Scripturas exitium moliuntur. *Scripturas adferunt & ipsi* (Musculi verba audis) *sed ita, vt illis contra sensum spiritus & consonantiam reliquarum Scripturarum vtantur, atque hoc astu rudioribus imponant. Satan iste plurimum cauendus est. Transfigurat enim se in Angelum lucis. Regnat autem plurimùm in secta* (Martinistarum & Caluinicolarum) *vt per illam planè idem videatur falsa Scripturarum vsurpatione conatus, quod Satanæ exemplum Matth. 4. depingit. Satan iste Scripturarum gnarus, & ad decipiendum instructus, fidelibus summopere cauendus est*: quia *ἰδίᾳ ἐπιλύσει*, ex proprio cerebro Scripturas explicat, contra expressum illud diui Petri monitum, epist. 2. cap. 1. *τοῦτο πρῶτον γινώσκοντες, ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται. Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit.* Seu, vt Beza vertit; *si illud primùm noueritis, nullam prophetiam Scripturæ* (hoc est, nullam penitus Scripturam diuinitus reuelatã) *esse propriæ explicationis*, quia ab illo, & ex illius mente explananda est, qui eius auctor est.

Quod indicant verba quæ Apostolus è vestigio subiicit. *Non enim voluntate humana* (seu, vt Beza transtulit; *libidine hominis*) *allata est aliquando prophetia*, seu sacra Scriptura; *sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*. Quàm autem hoc probè nosse, non modo vtile, sed & necessarium sit, satis ostendit Apostolus, cum huius rei cognitionem iubet esse primam: *Hoc primùm scientes*: nam qui hoc non scit, aut scire non laborat, hic illotis pedibus, manibusque in Scripturam irruit, & inania illa simulachra, quæ ex malè feriato suo capite exsculpsit; sacris literis audacter affingit.

Pessimè habuit Lutherum tritissimum illud & vulgatissimum axioma ex S. Petro desumptum: *Non esse Scripturas sanctas proprio spiritu*

ſpiritu interpretandas. Cuius verbi peruerſiſſimâ intelligentiâ eò proceſſerunt, (vociferantem Lutherum audis Præfat. in Aſſertionem ſuorum Articulorum) *vt Scripturas, non niſi proprio ſpiritu interpretarentur ipſi* (Catholici) *contra ſuam ipſorummet ſententiam.* Quomodo proprio ſpiritu, cum palam priuatimque teſtentur, ſe in explanandis & intelligendis Scripturis non ad proprium; ſed ad commune maiorum ſuorum, & Eccleſiaſticæ traditionis iudicium immobiliter adhæreſcere; nullusque toleretur, qui à trita ſuperioris ætatis ſemita vel paululùm deflectere & exerrare velit? *Si nulli licet ſacras literas ſuo ſpiritu interpretari, cur non obſeruant*, inquit Lutherus, *nec Auguſtino, nec vlli alij patrum idem licuiſſe?* Quis tam plumbeus eſt, qui hoc diu ante iſtum Monitorem non obſeruauerit? Quis tam improuidus eſt, qui neſciat S. Auguſtinum, aliosque Eccleſiæ Doctores Scripturam non ex proprio, ſed ex communi illo ſpiritu explicaſſe, quem Chriſtus cum diſcipulis, hoc eſt, cum ſua Eccleſia perpetim manſurum, & omnem veritatem reuelaturum promiſit?

Qui Scripturas, inquit Lutherus, *ſecundum Auguſtinum, & non Auguſtinum potius ſecundum Scripturas intelligit, ſine dubio ſecundum hominem & ſpiritum proprium intelligit.* Tu affirmas; nos negamus. Nam qui Scripturas ſecundum S. Auguſtinum intelligit & explanat, is Scripturas non ex humano & proprio ſpiritu, ſed ex ſpiritu Dei intelligit & explanat; quia ſanctus Auguſtinus in Scripturarum tractatione nec ſuum, nec alterius hominis, ſed Eccleſiæ ſeu Dei ſpiritum, tanquam ducem & magiſtrum ſecutus eſt: Et qui S. Auguſtinum rectè intelliget, is eum non niſi ſecundum Scripturas intelliget; quandoquidem, qua Doctor Eccleſiæ, non niſi ſecundum Scripturas, & ex ſpiritu Scripturarum ſcripſit.

Pergit Lutherus. *Si Scripturas non licebit ſecundum proprium ſpiritum intelligere, multò minus licebit Auguſtinum ſecundum proprium ſpiritum intelligere; quis enim nos certos faciet, an Auguſtinum rectè intelligas?* Omnino nec S. Auguſtinus ſecundum proprium ſpiritum vniuſcuiuſque lectoris intelligendus eſt; ſed intelligi debet ex præſcripto illius ſpiritus, cuius ductu & inſtinctu S. Auguſtinus ſcripſit: Is autem fuit ſpiritus Dei, qui animat & vegetat, inſtruit & informat Catholicam Eccleſiam. Quapropter, vt hæretici Scripturas, ſic & ſanctos Patres, & in his ipſum D. Auguſtinum, ſuo priuato & proprio ſpiritu intelligunt, præcipuè quando illorum dicta

&

& scripta ad sectæ suæ stabilimentum proferunt; quod non rarò fit, vt in plerorumque sectariorum libris videre licet; non enim Scripturas tantùm, sed & Patrum dicta, quoties commodum videtur, ad sua phasmata & phantasmata, & ab Ecclesiæ publico spiritu, ad suum vertiginosum genium detorquere student.

Hoc sanè verum est, inquit verè Lutherus, *superbis & impiis* (quales Lutherani Prædicantes, & Caluiniani Ministri) *Scripturam sanctam semper esse maioris cæcitatis occasionem; sed quæ hominum* (& sanctorum Patrum) *scripta etiam non sunt occasio maiorum tenebrarum? Aut quæ res quamlibet optima, superbis & immundis non cooperatur in malum? Hos fieri in Scripturis hæreticos, nil mirum; verum eosdem in humanis scriptis plus etiam, quàm bestias fieri, nihil nouum:* Nam quando Luthero, & Lutheranis, Caluino & Caluinianis de sanctorum Patrum lucubrationibus sermo est, de illis non, vt homines, sed vt bruta, scribunt & loquuntur, præsertim si Patres aliquid, opinationibus istorum aduersum tradant, cum in aliis argumentis, tum in materia de cœlibatu & castitatis voto. Enimuero tunc boant, tonant, fulgurant, fulminant, & Patres quasi totius Scripturæ ignarissimos insectantur, & damnant: & ne hoc inuerecundè facere censeantur, Scripturarum fuco effrontes suas facies pingunt, eo ipso maiore execratione digni. *Si in mundo aliqua formosa mulier incederet in serto, auro & purpura, omnibus ornamentis instructa, omnesq; gestus præ se ferens virginalis modestiæ, & tamen sub hoc fuco lateret putidum turpissimum scortum, contra decem præcepta; quid prodessent huic demissi oculi, attemperata modestia vultus, frontis, oris, sermonis? Profectò nihil aliud, quàm quòd, fuco prodito, septies in maiore esset odio, quàm vllum publicum scortum. Pulchrum quidem est, si mulier aut virgo pudica, etiam decorata sit mundicie & ornatu vestitus, & modestia morum; verùm si in corde est scortum, tum conchilia, vestes, aurum, serta magis decerent porcam, sicut Salomon dicit:* Circulus aureus in naribus suis mulier formosa & fatua, *id est, meretrix.*

Luther. in lib. contra Iudaeos.

Hæc quæ Lutherus de ornamentis impudicarum mulierum scripsit; ad hæresin Lutheranam & Caluinianam, sacrarum literarum testimoniis exornatam, accommoda, & Lutheri animo seu volenti seu nolenti obsequeris: nihil enim similius mulieri à Luthero depictæ, quàm Lutheri & Caluini secta, monilibus diuinorum oraculorum sese decorare consueta; vt lateat id, quod est; & pateat id, quod non est.

Verùm,

Verùm, vt in viam reuertar, quando Lutherus quærit, *quis nos certos redditurus sit, an Augustinum rectè intelligamus*; Respondeo, nos inde certos effici, quando S. Augustinum intelligimus prout à maioribus nostris Catholicis & orthodoxis intellectus est; Isti enim S. Augustinum rectè intellexerunt; quo fit, vt si ab eorum vestigiis non recedimus, neque à recta intelligentia S. Augustini deflectamus; à qua Sectarios aberrare vel inde manifestum fit, quòd plerisque in locis tam S. Augustinum, quàm alios Ecclesiæ Doctores alia sentire & docere contendunt, quàm quę eos sensisse & docuisse Catholica & orthodoxa antiquitas credidit, & quàm eorum aperta verba vel ferant, vel præ se ferant.

Ridiculum porrò est, quod aiunt, *se Scripturas non suo, sed eo, quo traditæ & scriptæ sunt spiritu, interpretari, iuxta doctrinam sancti Petri.* Crederes forsan, si omnes illos, qui nostros sectarios antecesserunt pro truncis ac caudicibus haberes; & si ipsi quoque in explicandis Scripturis consentirent. Nunc cum & à maioribus nostris discordent; & inter se non concordent, quis tam fungus fuerit, qui spiritum Dei iactantibus, fidem commodet, aut ab vllo intelligente commodandam existimet? Vt taceam eos, nullum testem producere posse, quòd in explanandis Scripturis spiritu Dei agantur, pręter seipsos. Nam si ex Luthero sciscitaris, vnde compertum habeat, se in explicatione horum verborum; *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus;* spiritum diuinum sequi: nihil aliud reponet; quàm hoc ex ipso clarissimo verborum textu dilucidè liquere. Si perconteris ex Caluino de illis ipsis verbis; idem prorsus responsum dabit: quorum tamen expositiones cum aduersa fronte sibi mutuò repugnent, fieri profectò nequit, vt ab eodem spiritu Dei procedant: etsi fateor non tantum fieri posse, sed & reipsa factum esse, vt ab eodem spiritu maligno & hodie procedant, & superioribus etiam annis processerint: Tartarei enim spiritus ita comparati sunt, vt parum pensi habeant, siue per concordiam mutuam, siue per discordiam fallant, dummodo Orcum inquilinis impleant. Cum ergo Nouatores nostri in Scripturis citandis suum, non Dei spiritum sequantur; tu eos res suas sibi habere iubeto; nec thrasonismis eorum de spiritu diuino, rectoque sacrarum literarum intellectu gloriantibus aurem inclina.

Bene autem feceris, si in mentē reuoces illud à Luthero contra Iudæos pronunciatum, sic tamen, vt ad huiusmodi Scriptura-

rum citatores, & ſpiritus diuini glorioſos iactatores transferas. *Fingunt quidem ex ſe infinita mendacia, verùm non tam ſubtiliter, quàm araneus telam; ſed vt porci literas ſcribunt, & veſtigium relinquunt in volutabro. Ruſtica, agreſtia, & admodum craſſa ſunt eorum mendacia, vt palpari poßint à mediocriter attentis. In ſectariis profectò videmus, quàm facilè Diabolus (vbi ſemel à ſincera ſententia Scripturæ diſceditur) homines proiicit in tantam cæcitatem & tenebras, quas etiam naturalis ratio in Ethnicis, ac ipſa propemodum bruta animantia & belluæ ſentire poßint; adhuc tamen iſti non vident, ſed habent eas pro luce, qui tamen quotidie in ſynagogis Biblia & Verbum Dei legunt; ſed fortè multi inter eos ſunt Epicurei qui credunt, quod bos aut aſſeres credunt* vt idem Lutherus de Iudæis loquitur; *qui ſiue edant, ſiue bibant, ſiue dormiant, vigilent, ſtent, ſedeant, induant, vel exuant veſtes, ſiue ieiunent,* (quod rarò contingit) *ſiue orent cantantq; in delubris ſuis, quidquid viuunt, ſpirant, faciunt, omittunt, omnia ſunt tincta & infecta,* hæretica labe & ſuperſtitione; addam, & idololatria: nam vt rectè dicit S. Baſilius in cap. 2. Iſaiæ, *omnes vitioſæ imaginationes iuxta cuiuſque deſcriptionem in animo efformatæ, nihil aliud ſunt, quam abominatio idololatrica.* Et verè nunc impletur illud Iſaiæ loc. cit. oraculum. *Repleta eſt terra idolis.* Quæ iſta idola, niſi hæreticorum placita & dogmata, quæ ex ſuo cerebro extuderunt, & exſculpſerunt? nam & Ethnici vocant εἴδωλα ea ſimulacra, quæ quis mente effingit, quæ iſti poſtea, fœditatis obnubendæ gratia, tegunt & comunt diuinorum eloquiorum operimentis & ornamentis. *Opus manuum ſuarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum:* inquit Iſaias, id eſt, phantaſmata capitis ſui, tanquam verbum Dei amplexi & venerati ſunt: *Et incuruatus eſt homo, & humiliatus eſt vir*; quia coram deliriis, quæ Lutherus, Zwinglius, Caluinus, & ſimiles delirarunt, & coram ſomniis, quæ ſomniatores iſti ſomniarunt, miſeri mortales genua flectunt, & ſeſe proſternunt, quaſi coram veritate nunc demùm cœlitus patefacta, & ex tenebris in lucem extracta. Vtinam tandem adueniat tempus illud, de quo idem Vates. *In die illa proiiciet homo idola argenti ſui, & ſimulacra auri ſui, quæ fecerat ſibi, vt adoraret talpas & veſpertiliones. Iſtiuſmodi animantibus idola, & omnia dogmata contraria veritati, comparata ſunt, quæ cæca & tenebroſa coluntur à cæcis*, vt ait S. Hieronymus in cap. 2. Iſaiæ.

Verumenimuero hoc forſan iſto rerum ſtatu magis optare, quam ſperare licet; *quia nunc populus ad iracundiam prouocans eſt*, vt

aie

ait Isaias cap.30. *& filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus: Nolite videre: & aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt; loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me semitam: cesset à facie nostra sanctus Israël.* *Secundum tropologiam*, inquit S. Hieronymus in citat. locum Isaiæ, *omnes hæretici filij mendaces appellantur: ex nobis enim exierunt, sed non fuerunt ex nobis: qui non audiunt interioris hominis auribus legem Dei, & Ecclesiarum loquuntur magistris: Nolite nobis videre, quæ recta sunt, nec gehennæ flammas comminemini, sed promittite nobis regna cœlorum, vt post luxuriam & delicias pandatur nobis paradisus. Quid mihi ostendis viam Domini, per quam non libenter ingredior? Quid replicas nomen sancti Israël, siue verbum Israelis, quod mei pectoris arcana non penetrat?* Pruriunt illi auribus. Quocirca quærunt, qui eas scalpant. Nec aptiores ad hanc scalpturam administri, quàm Prædicantes, quia prurientibus statim admouent mellitissima & blandissima sacrarum literarum dicta; quibus audientium aures suauissimè titillantur; & vt rem exemplo illustrem, vident quempiam laborare prurítu non ieiunandi, non confitendi, non obseruandi, quidquid hactenus à Catholica Ecclesia obseruatum est. Hîc isti, quamprimum aduolant cum his, quasi scalpellis: *Sine caussa colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum. Omnes iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ. Iustus ex fide viuit:* sola fide omnia transfiguntur; iuxta illud: *Qui crediderit, &c. saluus erit.* cæteris nihil opus.

Hæc & his cognata cum prurientes auribus, audiunt; tum mora nulla in scalpentis sententiam manibus pedibusq; non tam eunt, quàm ruunt; & fit, quod S. Hilarius lib.10. de Trinitate, non procul ab exordio scriptum reliquit: *Auribus prurigine audiendi incitatis, dum per audiendi impatientem oblectationem sub nouella desiderij sui prædicatione scalpuntur, ipsi penitus ab auditione veritatis alieni, totos se fabulis destinant; vt his, quæ loquuntur, veritatis speciem acquirant, dum quæ vera sunt, & loqui & audire non possunt.*

Interim sanctitatem morumque innocentiam mirificè simulant: nam vt idem S. Hilarius eodem loco verè dicit: *Sequitur fidei defectionem hypocrisis mendax, vt sit vel in verbis pietas, quam amiserit conscientia: & ipsam quidem simulatam pietatem omni verborum mendacio impiam reddunt,* (quid enim mendaciloquentius & calumniosius istis, etiam dum simulatoriam illam suam pietatem quàm maximè ostentare student?) *falsæ doctrinæ institutis corrumpentes.*

rant meliora: hæ glossæ decent eos, fatuæ, futiles, vt suam scribant ignominiam. in deprauanda enim Scriptura toti sunt. Qui autem adeo per contumeliam & contemptum cum tremendo sacrosancto verbo Dei ludit, hic non agitur bono spiritu. Finio,& hoc monitum S.Cyrilli Hierosolymitani Catech.4. in intima præcordia quemlibet demittere rogo. *Præcipuè oderis omnia perfidorum Hæreticorum conuenticula* (& commenta) *& modis omnibus animum tuum obfirma, ieiuniis incumbens, eleemosynis, & diuinorum oraculorum lectionibus.*

FINIS.

Erratum typographicum.

Pagina 33. vers. 27. *pro sursum sordibus*, lege, *rursum sordidat.*

INDEX.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

Luthe-

FINIS.